JOSEPHI JUVENCII

E SOCIETATE JESU.

ORATIONES.

Editio nova emendatior.

TOMUS PRIMUS.

PARISIIS,
Apud JOANNEM BARBOU, viâ San-Jacobæâ
è regione Collegii Ludovici Magni.

M. DCCXIV.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

[illegible]

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. D.

JOANNI - PAULO BIGNONIO,

ABBATI SANCTI QUENTINI.

FUIT *hoc Joſephi Juvencii in edendis Orationibus ſuis conſilium*, VIR ILLUSTRISSIME, *ut in umbra tui nominis in publicum prodirent. Id verò cum poſtulabat æquitas, ut exteram in regionem abiens, hoc ſuæ & noſtræ omnium in te obſervantiæ monumentum relinqueret; tum certè viſa eſt ſapientis viri requirere prudentia, eum ut operi ſuo conciliaret patronum, quo neminem*

aut idoneum, aut benevolum magis poſſet optare.

Mihi porro, cui hanc detulit provinciam, ut ſuo nomine libellum hunc tibi conſecrarem, ſic oblatam impensè gratulor, quam votis omnibus jam diu ambieram, teſtandi mei erga te obſequii occaſionem; ut fateri non dubitem, multo futurum fuiſſe tibi donum acceptius, ſi obire ipſe vices illas, quam eaſdem mihi liberaliter cedere maluiſſet.

Ut ut eſt, VIR ILLUSTRISSIME, *ſcio fidelem me fore voluntatis ipſius interpretem, cum dicam; nemini potius offerendas fuiſſe Oratoris alicujus apud omnes nominis Orationes, quam illi, quem frequens hominum in hac politiſſima civitate concurſus è ſacris pulpitis perorantem, Academia de omni diſciplinarum genere diſſerentem miratur; quam illi, inquam, qui altiſſi-*

mæ cujuſdam mentis vim ac robur, cum ſingulari politioris ingenii amœnitate atque elegantia conciliat; cujus tam exquiſitum in quacumque cognitione ac ſcientia judicium eſt, ut ambiguum ſit, num plus à natura, quam vel ab arte, vel à ſtudiis præſidii nactus fuiſſe dici debeat.

Proximè etiam accedam ad ejuſdem laudatiſſimi viri, & æquiſſimi rerum æſtimatoris de te ſententiam, VIR ILLUSTRISSIME, *cum profitebor, quod notum cuilibet perſpectumque eſt; virtutes illas, quæ tantæ ſunt in te, nihil ut iis adjici poſſe videatur, minoris tamen æſtimandas eſſe, ſi cum reliquis animi tui dotibus comparentur: tenerum dico pietatis minimè fucatæ ſtudium, eximiam illibatæ religionis ac ſinceræ doctrinæ laudem, candorem indolis, comitatem in omnes, raram in ſumma Magnorum virorum propinquitate ac conſuetudine modeſtiam.*

Hæc ego ſi belle minus ac diſertè prædico, VIR ILLUSTRISSIME, *quam Juvencius & dictum vellet, & dixiſſet ipſe haud dubie; ſaltem collaudandam putabit propenſiſſimam Collegæ olim ſüi voluntatem; qua, uti revera eſt, ſic haberi velit,*

Tibi addictus imprimis ac devotus,
GABRIEL-FRANCISCUS LE JAY,
è Societate JESU.

ADMONITIO.

JOSEPHI JUVENCII è Societate Jeſu Orationes partim mandatas typis, partim nondum editas hodie damus in lucem omnes. Cujus quidem operis ad commendationem ſufficeret incredibilis illa pietatis, ingenii, atque doctrinæ fama, quam ſibi apud univerſos hujus urbis ordines ille vir omni laude major conciliavit per annos quinque & viginti, quibus tanto reipublicæ litterariæ commodo Rhetoricam profeſſus eſt. Verum recens eſt adhuc memoria, quantos omnium plauſus Orationes iſtæ conſecutæ ſint, cum ſuis ſingulæ temporibus vel ab ipſo recitarentur, vel ab eodem in lúcem prodirent.

Quare viſus ſum mihi facturus eſſe rem omnibus eruditionis bonæ amantibus gratiſſimam, ſi ſparſa variis in libellis tot illuſtria uberioris & abſolutæ eloquentiæ ſpecimina

unum in corpus redacta colligerem. Erit hoc ſaltem ſolatium leve plurimis, qui viri de patria ſua optime meriti præſentiam requirunt, & Romæ tam pretioſum, quo jam illa fruitur, pignus invident, ut expreſſas ad vivum in ſcriptis ipſius, eximias ejuſdem dotes ac virtutes inſpiciant & admirentur.

Me verò felicem ac fortunatum, ſi, hac opella qualicumque noſtra, ſingularem erga Collegam olim meum obſervantiam & amorem publice conſignarim.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la Grace de Dieu, Roi de France & de Navarre. A nos Amez & Feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. La veuve BESNARD, Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer qu'elle deſireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage intitulé, *Virgilius P. Ruæi ad uſum Sereniſſimi Delphini; Horatius cum Interpretatione ac Notis P. Juvencii., ejuſdemque Orationes; & Martialis Epigrammata, Juvenalis Perſiique Satyræ;* s'il Nous plaiſoit lui accorder Nos Lettres de Privilege ſur ce néceſſaires: Nous avons permis & permettons par ces Préſentes, à ladite veuve Bénard de faire imprimer leſdits Livres en un ou pluſieurs volumes, conjointement ou ſéparément; en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout nôtre Royaume, pendant le temps de dix années conſecutives, à compter du jour de la datte deſdites Préſentes. Faiſons défenſes à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles puiſſent être, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de Nôtre obéiſſance; & à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, débiter, ni contrefaire

leſdits Livres en tout, ni en partie, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit de ladite Expoſante, ou de ceux qui auront droit d'elle ; à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel Dieu de Paris, l'autre tiers à ladite Expoſante, & de tous dépens, dommages & interêts ; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, & ce dans trois mois de la datte d'icelles, que l'impreſſion deſdits Livres ſera faite dans nôtre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caractéres conformément aux Reglemens de la Librairie, & qu'avant que de l'expoſer en vente, il ſera mis deux Exemplaires de chacun dans nôtre Bibliothéque publique, un dans celle de nôtre Château du Louvre, & un dans celle de nôtre trés-cher & Féal Chevalier Chancelier de France, le Sieur Phelypeaux, Comte de Pont-Chartrain, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Préſentes, du contenu deſquelles vous Mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſante ou ſes ayans cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la Copie deſdites Préſentes qui ſera imprimée au commencement ou à la fin deſdits Livres ſoit tenuë pour dûëment ſignifiée, & qu'aux Copies collationnées par l'un de Nos Amez & Feaux Conſeillers & Secretaires, foy ſoit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier Nôtre Huiſſier ou Sergent de faire pour-

l'execution d'icelles tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires; Car tel eſt nôtre plaiſir. Donné à Fontainebleau le vingt-troiſiéme jour d'Aouſt, l'an de Grace mil ſept cens huit, & de nôtre Regne le ſoixante-ſixiéme. Par le Roy en ſon Conſeil.

LECOMTE.

Regiſtré ſur le Regiſtre, N°. 2. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 379. n°. 716. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du 13. Août 1703. A Paris, le dixiéme jour du mois d'Octobre 1708.

LOUIS SEVESTRE, Syndic.

Ladite veuve Bénard a cedé ſon droit au préſent Privilege à Jean Barbou Libraire, par Contrat paſſé le 19. Mars 1711. ladite ceſſion regiſtrée ſur le Regiſtre des Imprimeurs & Libraires le 31. Mars 1711.

L. JOSSE Syndic.

INDEX ORATIONUM.

TRAJECTUM ad Moſam expugnatum. Oratio I. *Page* 1
Burgundiam Sequanorum, quam liberum comitatum vocant, nunc maximè, poſtquam Regis Chriſtianiſſimi eſſe cœpit, dici liberam oportere. Oratio II. 23
Flandriam, niſi tota Gallica ſit, felicem eſſe non poſſe. Oratio III. 54
Ludovico Magno Religionis vindici Panegyricus. Oratio IV. 84
Sereniſſimi Principis Ducis Burgundiæ Genethliacum. Oratio V. Extemporalis. 113
Quam falsò & periculosè ingenii fama Novitatis defenſoribus tribuatur. Oratio VI. 136
Eccleſiæ Pariſienſis Panegyricus. Oratio VII. 173.
Lutetiæ Panegyricus. Oratio VIII. 218
Quid ſibi Gallia de Sereniſſimi Burgundiæ Ducis inſtitutione debeat polliceri. Oratio IX. 250

TRAJECTUM.

TRAJECTUM AD MOSAM EXPUGNATUM,

ORATIO.

HABITA CADOMI ANNO MDC. LXXIII.

INTER varias artes, quibus ornaſſe Principum olim ſuorum egregia facinora populorum amor vel Aulicorum aſſentatio memoratur, ECCLESIÆ PRINCIPES ILLUSTRISSIMI CETERIQUE OMNIUM ORDINUM AUDITORES ORNATISSIMI, fuit illa ceteris inſignior, ut menſes & annos eorum victoriis, interdum etiam nomine, conſignarent. Opinor, cum nihil in orbe terrarum ſatis firmum ac ſtabile reperirent, quo famæ diuturnitas niteretur, quærendam in temporum faſtis & cœlo ipſo ſtabilitatem illam ac æternitatem gloriæ putaverunt. Hinc ille menſis, quem Romani veteres

Quintilem vocaverant, mutare juſſus eſt nomen, & Julius, in gratiam Julii Cæſaris appellatus: alter non ita multò poſt, cui Sextili nomen erat, Auguſti appellationem ab Auguſto ſortitus eſt.

Hæc ſi apud Gallos vigeret conſuetudo, nullus profectò menſis Ludovicæus potiori jure diceretur, quàm ille, quo Trajectum ad Moſam, Belgii clauſtrum ineluctabile, munitarum urbium ſpecimen, artis laboriſque bellici miraculum, hoſtium fiducia, obſeſſum, & expugnatum fuit. Qua quidem in obſidione quamvis Gallorum omnium tanta virtus eluxerit, quantam in rebus difficillimis adhibere vulgo ſolent, cum tamen operis tanti dux, & quaſi anima Rex præſens, nec præſens tantùm & ſpectator, ſed effector etiam extiterit, quid a me fieri convenientius poteſt, AUDITORES ILLUSTRISSIMI, quam ſi regias ejuſdem in hac admirabili obſidione dotes explicare aggrediar, quæ nunquam profectò aliàs antea glorioſius, quam in hoc, ut ita dicam, theatro patuerunt.

Verum cum expromere ſingulas meditor, obruit orationem illarum multitudo prope infinita, & copia delectum impedit; adeo ut conſtituere ſatis non poſſim quas virtutes potiſſimum explicem, utram alteri præferendam eſſe putem.

Prudentiam audio primas in hac obſidio-

ne partes ſibi vindicantem. Comparavi omnia, inquit, multo ante, & providi: ne quid hoſti ſuboleret, feci; ut ſibi timendum nihil duceret, cum eſſent omnia metuenda: cohortes expeditas ad urbem in tempore produxi, poſui caſtra, obſidionis opportunitates omnes, aſtus, conſilia deſcripſi. Occurit contrà Fortitudo, ſibique primas deberi pugnat. LUDOVICUM nobis oſtentat pernoctantem ſub dio, vel breves ſomnos raptim carpentem; horas ipſas quatuordecim impaſtum & hærentem in equo; caſtra, militum labores, in ſole, pulvere, obeuntem. Jacerent ſine me veſtri tamen triumphi, reponit Pietas, mihi Rex laboravit, mihi vicit. At Felicitas videtur his non eſſe conceſſura, cum ipſa coronidem operi tanto impoſuerit, prudenter cœpta promoverit, rem totam ad optatos exitus perduxerit.

Quid? Regia in hoſtes clementia, liberalitas & caritas in ſuos, moderatio in victoria, erunt-ne tandem illaudatæ, aut alias ſibi præponi facile patientur?

Magna lis, AUDITORES, & veſtris judiciis digna. Meum quidem non eſt illam componere: vos, quibus ea quæ dicturus ſum, multo ſunt, quam mihi perſpectiora, ſedete, quæſo, pauliſper hujus controverſiæ arbitri, dum vobis Virtutum ſingularum cauſam & quaſi jura breviter expono. Atque has quidem audiendi & judicandi

partes veſtras in primis eſſe merito dixerim, ECCLESIÆ PRINCIPES ILLUSTRISSIMI, ad quos Regia potiſſimum ſpectare laus videtur & gloria. Quàm eſt ille in vobis colendis fovendiſque religioſus ac pius, tam in illo eſtis ornando diligentes & aſſidui; utque veſtris conſiliis, opera, pietate florent illius res, & cœptis ingentibus conciliatum per vos Numen aſpirat; ſic ejuſdem triumphis res veſtræ creſcunt, retinentur armis, victoriis illuſtrantur. Adeſtè igitur animis & laborantem in Regiis laudibus oratoris tenuitatem benevolentia veſtra ſublevate.

Ac primo quidem diffiteri nemo poteſt quin ſemper fuerit cum ceteris in rebus, tum vero in bellicis, laus Prudentiæ longè maxima. Hæc veluti mens addita conſiliis ingentibus, eorum ſuſtinet molem ſuo ſæpe ruituram pondere, arcanas vires ſubminiſtrat ad magnorum operum molitionem, Ducum denique ac Regum, quorum motu reguntur omnia, propria dos quædam ac virtus eſt.

Quod ſi fuit aliquando tempus ullum cum prudentiæ ac ſolertiæ ſtrenui ac diligentis imperatoris locus eſſe poſſet, in obſidione profecto Trajectenſi fuit, quæ difficillimæ ac periculoſiſſimæ aleæ plenum opus erat. Quis enim neſcit hanc præcipuam fuiſſe ac munitiſſimam Batavorum arcem, qua una ſpes ipſorum niteretur? expugnatis oppi-

dis amplius quadraginta, populatis agris ac voluntario magnam partem naufragio demerſis, triumphabant adhuc illi nihilominus hac urbe una, & ſtare ſe ac florere judicabant. Huc hominum lectiſſimam manum, huc florem ſui exercitus, huc Italum robur, huc omnem gerendi belli artem induſtriamque contulerant. Tormentorum æneorum, miſſilium ignium & machinarum in armamentariis ingens vis atque copia; defoſſa in ſubterraneis ſpecubus peſtis, quæ igne concepto, in noſtrorum exitium ac perniciem erumperet: Locus ipſe tum ingenio ſoli, tum bellicis ſubſtructionibus & ordine propugnaculorum multiplici, defenſus; civitas quaſi bipartita & medio diviſa flumine, ut cum alteram partem expugnaſſes, altera obſidenda ſupereſſet. Quam ſingulari fuit opus prudentia, ut hanc arcem LUDOVICUS labefactaret, ut eam eriperet hoſti accurato, pervigili, parato? quæſo vos expendite quibus artibus ad eam obrepſerit, quibus invaſerit eamdem ac dejecerit.

Videbat, ſi anno ſuperiori Trajectum invaderet, futurum ut retardari belli curſus poſſet, qui cœperat eſſe jam Gallis ſecundiſſimus: vires hoſtium partim recentes & integras, partim adſcitas & allectas aliunde in hanc unam urbem deffendendam incubuiſſe cernebat: verebatur ne objecta ex-

pugnandi mora debilitarentur incenſa ſuarum ſtudia, hoſtium erigerentur. Recte igitur prudenterque providit, ut extinguerentur illorum ardor ipſa die, dilaberentur aliò copiæ, & diſtraherentur; ac dilata pauliſper obſidio certior in poſterum ac facilior pararetur. Itaque victoriâ tum abſtinendo, iter ſibi ad victoriam tutiſſimum aperuit, quæ dos eſt imperatoris longe pulcherrima; cunctando quippe maximæ hoſtium vires affliguntur ſæpe facilius, quam pugnando.

At hoc ipſum quam acutè ſolerterque fecit? dum id agebat maxime ut hoſtem deciperet urbique indeprehenſus ingrueret, aliud eum penitus agere dixiſſes. Obibat Lizam veluti ceſſans & alias res meditans, Brugenſem canalem luſtrabat otioſus: otioſus autem? Immo Rheni Dynaſtas interim adjungebat per legatos, Anglum ſancito fœdere confirmabat in amicitia, Cæſaris copias per ſuos duces aut morabatur, aut alias aliò diſſipabat; omnemque Germaniam ex arbitrio nutuque ſuſpenſam librabat. Bruxellis etiam oſtentabat metum; ac negotium, animi cauſa, faceſſebat. Quanta trepidatio facta ſit meminiſtis, cum ad Bruxellas victor exercitus conſtitit: ſparſus ad ipſam uſque Hiſpaniarum aulam rumor omnia metu ac terrore complevit, collectæ raptim copiæ in Ruſcinonenſem comitatum juſſæ ſunt irrumpere, belli opinor, avertendi cau-

ſa; quod ſuis cervicibus imminere jam arbitrabantur.

Ridere interim LUDOVICUS in ſinu, gaudere Batavi, ac vicinorum terrorem ſecuritatem ſuam interpretari, parum ſolliciti quibus immineret pernicies, modò ne ſuum in caput procella detonaret. Ne tamen agerent nihil viri prudentes ac ſtrenui, rebuſque ſuis cautè proſpicerent, in urbes non longe poſitas, neque ita tutas ac munitas, Trajectenſe præſidium deducunt, ac ſe neceſſariis copiis ſpoliant, id quod Rex cupiebat, nempe ut orbatam aliqua parte militum urbem invaderet. Invadit, venit, videt, componit caſtra, deſcribit obſidionis omnem rationem ac viam: quid primum oppugnandum, quid poſtremum, notat: non illi dux conſiliorum, non ſocius, non primarius aliquis adminiſter adeſt, unus per ſe omnia inſtruit, præcipit ut quidque locus tempuſque tulit, præſto eſt ubique, acer, vigil, experrectus.

Erant multa, fateor, a LUDOVICO ſuperioribus annis geſta prudenter, ſolerter, & conſiderate multa: ſed neque hic datus erat hactenus ejus prudentiæ campus, neque quantum ea virtute poſſet, ullo alio in loco declarare liquidius poterat. Nondum enim quidquam ita ſuo marte geſſerat: nondum cum tot ac tantis adverſariis certamen, ut ita dicam, militaris prudentiæ ſuſ-

ceperat. Cum Batavorum providentia, cum calliditate Hiſpanorum dimicandum illi nunc fuit. Accedebat a Germanis motus & ſollicitudo: adeſſe nuntiabantur cum exercitu, excutiebant certe omnia, & aures oculoſque arrigebant, ut regia conſilia ſubodorarentur: nihil profecere: ubi verò de obſeſſo Trajecto eſt auditum, moliri etiam aliquid cœperunt, atque id operam dare ſeriò ut obſidionem diſturbarent, aut penitus everterent. Quos Rex prudenter moratus vincendi etiam celeritate antevertit. Ita LUDOVICUS pene ceſſans ac ludibundus hoſtes arrectos & intentos; ſenes juvenis; unus omnes, prudentia ſuperavit.

Sed non patitur nos in limine ipſo belli triumphare Fortitudo, utque dominari videtur in bello & arenam obtinere, ita palmam jure quodam ſuo ſibi videtur aſſerere. Quam inſignis enimvero fortitudinis fuit, unum ducum omnium munera & pene militum obire! hîc nocturnis excubiis cohortem, illic extruendo vallo præficere, hîc obſeſſam urbem luſtrare, alibi ſtativa præſidia vigilum explorare: nunc librandas murales machinas, componendos aggeres, caſtra cingenda foſſis, contraque hoſtiles impetus firmanda curare: nunc ſua ſingulis munia, vices, ac loca deſcribere; alios imperio, laudibus alios, omnes exemplo accendere; nihil à ceteris niſi robore animi ac

magnitudine diſcrepantem; non illum ætas à labore, non intempeſta nox ab aſſidua concurſatione, non periculum à vallo & aggere, non certa pene mors ab incerta difficilique victoria deterrere poteſt.

Quod ſi periculis maxime ſpectatur bellica fortitudo, quantum in diſcrimen, non dico valetudinis, ſed ſalutis & capitis Rex venerit, quis ſine dolore non audiit? quis non incertos eventus Martis communis, quis in tanta laboris diuturnitate & gravitate morborum vim non extimuit? cum inſideret equo dies totos, cibi ſæpe ſomnique expers: cum eſſet infeſta tempeſtas imbribus aut æſtivis ſolibus iniquior; cum labor militaris valentiſſima etiam corpora militum debilitaret.

Cohorreſcitis etiamnum dum hæc dico, & ubi nihil timet LUDOVICUS, LUDOVICO timetis, eo que magis, quod nihil ſibi timet, omnia ipſi timenda non immerito exiſtimatis. Conſiſtebat ſæpe intra teli jactum, ac prope ab hoſtium mœnibus, unde etiam exploſa muralis machina milites duos non procul à regio tentorio interemit, vel ita multo poſt, equites aliquos qui tum aſtabant ejus lateri confoſſis equis afflixit. Trepidantibus ceteris periculi metu & attonitis, metuentibuſque vel ſibi, vel LUDOVICO potius, arridebat ille fidentius & ſuorum metu vultu fiduciâque ſuâ diſcutiebat.

Vos vero, LUDOVICI comites, timorem omittite, neque vos ejus comitatu & conſpectu contra vim ignium & tormentorum minus armatos putatote, quam illi qui Cæſarem olim clauſo per hyemem, & intempeſtivo ad navigandum mari, ſcapha piſcatoria tranſmittebant in Italiam, ſolo ſe nomine Cæſaris ac fortuna, contra tempeſtates omnes & procellas armatos arbitrabantur. Equidem victrices illas lauros quibus coronatus & onuſtus incedebat, ictum depuliſſe crediderim, aut præſides potius ſacrorum genios, quorum intererat ut ille diu ſervaretur ac vinceret, quo ſoſpite ac vincente priſtinis erant ſedibus honoribuſque reponendi.

Pátere tamen, LUDOVICE, nos indulgere timori noſtro, dum nihil indulges tuo, neque noſtro prætetea periculo fortis eſſe, quæſo, velis. Gallia tota ſi una voce loqui poſſit, hæc dicat: Mea ſalus tua unius ſalute continetur. Quod habeo per te, ſine te retinere nequeo. Quid te meque tam facile, tam nullo diſcrimine, in omne diſcrimen, aleamque conjicis? Omitte tantiſper, omitte iſtam virorum fortium in contemnenda morte audaciam; teque non fortem tantùm & invictum, ſed Regem eſſe præterea memineris. Ego vero tum id facere te libenter paterer, ſi tibi ſoli viveres, nunc cum omnium vita ex tua unius vita ſit & ſalute ſuſ-

penſa, nihil adis periculi, quin hoc idem tota quantâ ſum adeam ac ſubeam. Quidquid in meis eſt animi, quidquid virium & induſtriæ, ſine ut impendam tibi, nihil mihi peribit, te ſuperſtite, nihil, te ſtante, cadet. Meum eſt obſequi, dimicare, vitam, & ſanguinem profundere; imperare ac triumphare tuum.

Erant illæ totius Galliæ voces, quas quidem audiebat non ſine aliquo mœrore ſuo, LUDOVICUS, ac tametſi non poterat non timere ſuis, ſibi tamen timere turpe eſſe ducebat, neque decebat quietis ipſum nomen, ſi nomen Ducis & Imperatoris gereret. Vincant alii Reges & Principes otioſi, vincant domi, & privatos intra parietes, vincant extra omnem belli aleam periculumque poſiti: dum exploduntur tormenta, dum mixtus viro vir de vita & victoria dimicat, dum ſcandunt alii hoſtiles muros, aggerem alii ducunt, & victoriam pro ſe quiſque labore ſuo ac ſanguine redimunt, egregius interim Imperator ex edito colle ſuorum præclara facinora ſecurus contempletur, cadentium placidè voces ac gemitus exaudiat. Apage mihi, apage iſtam vincendi rationem, non ita vincit LUDOVICUS, relicta hæc illi erat gloria peculiaris & eximia laus, ut ceteris præiret exemplo, & quem in bello deceret eſſe Regem demonſtraret, cùm ejuſdem in pace ac domi tam il-

luſtre ſpecimen in ſeipſo annis ſuperioribus ediđiſſet.

Hæc illa ſcilicet regia fortitudo Gallicæ nobilitatis animos excitavit, ut ſpretis periculis, venales pulchra morte lauros peteret, ſibique viam ad Urbem per ſtragem propugnaculorum medioſque ignes aperiret. QUAS tum illi vires, quos animos præ ſe tulerunt! cum præſentem intentare mortem omnia viderentur: cum ignes è furnulis bellicis rupti, fragore diro intonarent, & inſano tumultu arces ac ſola verterent, cum vivos ac ſpirantes ſocios egeſta vi tellus aut fallente veſtigio diſcedens hauriret, cum hoſtis è mœnibus peteret ferreis tubulis & conficeret eos, quos extemporalis tumultus non hauſiſſet, ſecuri necis tamen, lucíſque contemptores ruebant quò innatus ardor & pulchra gloriæ cupido rapiebat.

TESTIS mihi Artaniacus, qui apud Gallos eo ſemper erit loco, quàm qui clariſſimo, vir dignus Gallico nomine, dignus ſuo: Teſtis alius ille non tàm genere clarus quàm virtute miles, qui vulneribus adverſis quatuor & decem acceptis, cum haſtili prælongo nixus in mediam armatorum hoſtium manum inſiluiſſet, confectus denique & confoſſus jacuit ſemianimis; ſibi vitam eripi profeſſus poſſe, non victoriam: Teſtes ceteri milites fortiſſimi, cives nati reipublicæ, memores nominis ſui nec Ludo-

VICO indecores. Micantes nimirum ex illius oculis, quem non veſtræ ſolum fortitudinis ac virtutis judicem, ſed ſocium etiam periculi videbatis, micantes inquam ex illius oculis igniculi vim ac fulgorem retundebant ignium, fulminumque hoſtilium terrorem adimebant, non tam veſtra vos armabant tela, quam LUDOVICUS ſpectator, comes, & laudator animabat: vitam teſte tanto profundere, pulcherrimum, & inerti anteponendum immortalitati putabatis. Vos vero, milites fortiſſimi, laudo, &, ut nemo laudet, veſtra vos virtus & fortitudo ſatis poſteritati commendabit: non vos non idem, qui corpora veſtra tumulus, laudes quoque ac memoriam obruit; laborabant amici & noti ſodales funus veſtrum ut invenirent in ambuſtis ac fumantibus murorum & propugnaculorum ruderibus, at laudes & nomen fama diligens exceperat, quod publicis monumentis æternæque memoriæ conſecravit. Pervaſit ipſa etiam remotiſſimas oras & ad extremum uſque orbem triumphos veſtros deportavit. Eſt igitur laus regiæ fortitudinis tanta, quantam in alio, ac ne in ipſo quidem hactenus LUDOVICO, vidimus; an minor fuit pietatis & relligionis?

Non commemorabo pluribus quam accuratè id operam daret, ut omnia quibus religio præſidet munia in caſtris piè ſanctè,

que obſervaretur: ut ſacerdotes accerſiri & ſuis quoſque locis adeſſe juſſerit, quàm diligenter ſacrarum ædium ſanctitatem contra petulantiam avaritiamque militum ſartam eſſe tectamque voluerit: in quo ne ſeverior haberetur non pertimuit, cum ceteris in rebus clementiæ laude vel maximè glorietur. Quantam habet illud ſignificationem religionis? Quam eſt egregium ad commendationem regiæ pietatis, quod de artifice bellicarum machinarum & cuniculorum præſtantiſſimo narrant. Suam ille Regi operam & induſtriam qua præ ceteris valebat, detulerat: accepit Rex hominem ut ſolet, perhumaniter: cavit unum tamen excepitque, ut hæreſim, quâ tum ille infectus erat, deponeret, ſi quid ipſi humanitus accideret. Non ita multo poſt, dum inſtat operi, globulo igneo petitur, accipit letale vulnus: audit Rex hominem in extremis poſitum, admonet fidei datæ, neque ille recuſavit; rediit in viam, abjuravit hæreſim & piorum gregi adjunctus eſt. Intellectum fuit ex eo ſcilicet, primam omnium & antiquiſſimam LUDOVICO religionis eſſe curam, qui primam illius & præcipuam eſſe cautionem vellet; qui, cum oblato navo & induſtrio viro ſpem rei bene gerendæ, ſuorum incolumitatem, inanes hoſtium conatus, qui furnulis iſtis peſtem nobis & exitium taciti moliebantur, præ ocu-

lis haberet; iis tamen omiſſis ac veluti neglectis omnibus, de unius hominis aſſerenda ſalute cogitaret. Quam magno ceterorum æternam incolumitatem mereaetur ille, qui tantum de uno laboravit! Eſt hoc inſigne: iſtud etiam illuſtrius.

Nihil hoc è tota obſidione geſtum eſt memorabile magis & arduum, quam cum lunatum propugnaculum octavo Kalendas Julias oppugnari cœptum eſt; certatum ſcilicet utrimque fuit acerrime, diſploſæ ſunt è muralibus tormentis ferreæ glandes ad decem millia: certamen extractum ad multam noctem. Rex deffenſus congeſtitio ceſpite pernoctabat, ſingula ut ferebat uſus, præcipiens. Hinc inſtare Galli, inde Itali Batavique reſiſtere acriter, mox tamen victi pulſique referre pedem ſeque in urbem ſubducere. Premit, inſtat victor miles & munimentum obtinet. Ilicet fauſto plauſu perſonant omnia Gallorum in caſtris, nec dubiis ominibus victoriam in poſterum facilem quiſque præſumere. Quid tum Ludovicus? totam noctem vigil ſummo in labore ac metu exegerat, jam albeſcebat cœlum redeunte ſole: audi Gallia, & Regem Chriſtianiſſimum agnoſce. Recte habet, inquit, jam demus operam facienti ſacerdoti; at de ſomno & quiete, nihil: at fractus erat improbo labore, defectus viribus & exhauſtus? poſterius, inquit, iſta, nunc numini

litemus. Ego vos ipſos conſulo AUDITORES: in domeſticis & tenuibus reculis quotus quiſque noſtrum eſt, qui primam de rebus divinis, de numine vel placando vel colendo cogitationem ſuſcipiat? qui curam hanc ceteris prævertendam putet?

Eſt ejuſdem pietatis ac virtutis quod hæreticis Trajectenſibus reſpondit. Accedunt ad Regem deditione facta. Quid petituri? Templa ut habere ſibi liceret, quæ autem? quæ fuerant ab ipſis olim per vim pulſis Catholicis occupata: negavit enimvero, immo reſtitui voluit quæ invaſerant. Lætari mihi templa ipſa nunc & geſtire ſacri lapides videntur ab impuræ ſectæ contagio vindicati; videor mihi videre Genios cuſtodes locorum illorum & præſides regium tholis templorum nomen incidere ad memoriam gloriæ ſempiternam, & obliteratis profanæ ſervitutis notis, libertatem illi acceptam aſcribere; utque ſolent ſacris ædibus apponi illorum inſignia & ſtemmata, qui eas excitarint vel amplificaverint, ſive ad commendationem honoris ſive ad memoriam beneficii, magnificis illis delubris LUDOVICUS inſcribetur, aſſertor pietatis, ſacrorum alter quaſi parens, & religionis vindex. Quamquam ne id quidem eſt opus: vives, LUDOVICE, vives in eorum, quos ab errore, quos ab impietatis jugo vindicaſti inſcriptus & infixus animis, & quamvis ſacra

illa monumenta concidant vetuſtate, numquam tamen tanti beneficii per te accepti, numquam pietatis tuæ memoria conſeneſcet. Hoc reipublicæ Chriſtianæ vota, hoc bonorum omnium una vox, hoc piæ ſummi Pontificis lacrymæ illæ non obſcure pollicentur ac denuntiant; ad quem cum perlatus eſſet felix de Trajecto expugnato, & reſtituta longo intervallo religione nuncius; tum perfuſus mira voluptate divinus ſenex & illacrymans, grates agere ſe ſuperis dixit, qui tantum reipublicæ Chriſtianæ Principem, tam pium Eccleſiæ filium providiſſent, ſe non fruſtra hactenus vixiſſe, lætum deinceps ac beatum emori qui hæc audiſſet, hæc vidiſſet.

Quàm vero eſſet pietas regia ſuperis accepta hoc declaravit, quod auſpicatiſſimo die qui divis Petro & Paulo ſacer erat, agi cœptum eſt à Trajectenſibus de deditione facienda: ut aperire Gallis Urbem Petrus, vindicemque gladium hoſtibus intentare Paulus videretur, ni juſſa regia faceſſerent. Præiverunt nobis ad triumphum iidem ſacri duces quibus olim ducibus & auſpicibus eadem urbs fuerat ab Hiſpanis capta & occupata, quorum quidem fuit deterior tum eo nomine victoria, quàm Gallorum nunc, quòd urbem illi vaſtatam ac direptam acceperint, cæſis octo civium millibus, bis mille & quingentis militibus regiis deſide-

ratis, ſeptem & triginta Centurionibus; cum de Gallis militibus vix quadringentos belli æſtus abſumpſerit, duces aut viros alicujus notæ aut famæ, admodum quinos. Illi totis quatuor menſibus vix eripuere, quod Galli vix duodecim diebus abſtulerunt.

Ex eodem fonte ducta perpetua illa felicitas quæ vota etiam noſtra ſuperavit. Age enim quidnam Rex amplius ſperaverat, quàm ut Trajectum longa tandem obſidione fractum domitumque dederetur, quàm ut ad ſummum extremo anno, poſt aliquot certe menſes caperetur. At vero ut vix oppugnata urbs expugnaretur, vix interclusa vallo, recluderetur, num id auſus quiſquam eſſet optare? Quid eſt autem tota obſidione geſtum non ſecundiſſimo eventu? quis numen aliquod præſentiſſimum Gallis adfuiſſe neget? ſive in cavendis periculis, ſive in ſuperandis? quis incuſſum hoſtibus terrorem, quis civium trepidationem non admiratur? ignes ipſos vim ſuam impetumque repreſſiſſe crediderim, adeo pauci noſtris fuerunt illis incendiis rupta paſſim humo prorumpentibus, violati. Quid? annon eſt hoc numerandum in parte felicitatis, quod ex iis cuniculorum architectis tres qui forte ignem iiſdem erant ſubjecturi, in ipſo veſtigio comprehenſi fuerunt & paucorum hominum cæde, multorum ſalus ac vita ſit

redempta? Quas illis dediſſent ſtrages, quæ funera nobis intuliſſent, niſi eos incredibilis felicitas ante oppreſſiſſet, quam admovere flammas paratis machinis poſſent.

Magna ſunt hæc, Auditores, & nullis pro dignitate laudibus ſatis prædicanda; dubitari tamen etiam poteſt, an his omnibus præferenda non ſit ea modeſtia, & benignitas, qua Ludovicus victoriam exercuit. Poſtquam deditio pacta fuit, hoſtes non ſuperbe, ut victos, non iracundè, ut reos, non faſtidioſè, ut ſupplices compellavit; ſed blande atque clementer adhibitos, ſalvos & incolumes eſſe juſſit, imo ſi liberet, etiam ſuos. Mihi quidem certe dupliciter videntur eſſe à Rege victi, primùm armis, deinde hac ſingulari clementia; quæ victoria poſterior, tantò eſt anteponenda primæ, quantò plus habet difficultatis retinere victoriæ curſum, iracundiæ potentem eſſe; & tum parcere, cum poſſis perdere. Ceteræ quippe victoriæ corporum ſunt; hæc animorum: iſtis profligantur hoſtes, hac retinentur etiam atque adjunguntur. Spectabas hanc opinor clementiam Trajectum olim infœlix & hoſtium crudelitate deformatum, nunc regia clementia recreatum; exultabas, inquam, & hujus mores cum illorum feritate componebas; memineras quam crudeles poſt victoriam, quam feri fuiſſent cum ſævirent in civium fortunas & vitam, cum

extinguerent lumina civitatis, cum hoſtis ad ludibrium præfixa truncataque virorum eruditione ac ſanctitate præſtantium capita imponerent; illis victoribus captum te & expugatum; hoc vero capiente & expugnante, liberatum & aſſertum putaviſti.

Hæc Ludovici in hoſtes clementia, quid in ſuos quanta charitas, quanta benevolentia! ut quiſque ſubmovebatur è prælio vulneribus acceptis, jubebat deportari hominem idoneum in locum, curabat fieri vulneribus medicinam, mittebat interdum qui viſerent & ſolarentur. Pars erat ſanitatis Regem aſpexiſſe, adverſa oſtendiſſe vulnera, ſpectatorem aut præconem habuiſſe, multiſque jam fugiens & in primoribus poſita labris anima hoc aſpectu recreata eſt atque reſtituta; alii læti mortem appetebant, cum eo ſe teſte mori, eo duce militaſſe intuerentur. Quibus autem vitæ ſpem vulnerum acerbitas non ademerat, relictam illam non ſibi alia de cauſa gratulabantur quam ut eam Regis gloriæ rurſum impenderent. Neque Rex ardori ſuorum & benevolentiæ deerat, quamque prodigus videbatur in demortuos laudum & lacrymarum, tam erat in ſuperſtites liberalis ac profuſus. Diſtributa in ægrotos ac ſocios aureorum quadraginta millia; ſingulis militibus aurei tres, centurionibus ac primariis præfectis triginta viritim attributi. Felices utrique, vel qui ſic obiiſtis,

vel qui ſic ſervati & munerati eſtis!

Videtis ô! quam omnes ex æquo in hoc uno Regis facto virtutes conſentiant, ut perdifficile ſit ſtatuere utra ſit utri anteferenda, quænam ceteris omnibus antecellat. Si prudentiam ceteris placet anteponere, jacet illa ſine fortitudine; ſi fortitudinem, imbellis & manca eſt ſine prudentia; ſi alterutram pietati, pietas ceterarum videtur eſſe culmen & corona virtutum, ſine qua profana eſt victoria, ut arrogans & ſuperba ſine clementia & lenitate. Quænam autem illarum omnium non fuit in Rege ſumma, quænam inſigniter in obſidione Trajectenſi non eluxit? Ducis navi ac ſtrenui numeros omnes implevit prudentiâ; omnes Imperatoris ac pene militis, fortitudine; Chriſtianiſſimi Regis, pietate: victoris laudes & ornamenta, ſingulari modeſtia, liberalitate, charitate, cumulavit. Id unus poſt hominum memoriam ſimul tulit, ut rem impeditiſſimam ſine offenſione ulla geſſerit, periculoſiſſimam fortiter ſuſtinuerit, religionis pleniſſimam ſumma cum pietate tractaverit. Admirationem illi veteranorum ducum & Imperatorum conciliavit prudentia, metum toti Europæ ejus fortitudo injecit, pietas modeſtiam in victoria, humanitatem in hoſtes, Religionem in ſuperos perſuaſit. Clementia denique victoriam ipſam vicit. Huc igitur, huc eruditas, Oratores, Ve-

tereſque conferte curas, hoc linguis omnibus literiſque celebrate. Tibi vero, Galliæ oculus, arx eruditorum, eloquentiæ ſedes, vatum nobile domicilium, tibi, inquam, Cadomenſis Academia, gratulor, quod cum alumni tui luſerint antea variis in argumentis, & ingenii palmam eruditioniſque tulerint, in hoc denique regio argumento nuperrime triumpharunt. Nihil ſcriptum eſt hactenus, nihil ſcribetur aliquando ad Regis, ad regni gentiſque Gallicæ gloriam inſignius, dumque prædicabitur hoc facinus, in eo uno regiæ cæteræ LUDOVICI MAGNI virtutes, quæ ſparſæ ſunt variis quaſi locis, collectæ prædicabuntur; hoc uno in menſe omnes ejus, & omnium ſimul heroum anni jure merito laudari cenſebuntur.

DIXI.

Digitized by Google

BURGUNDIAM SEQUANORUM, QUEM LIBERUM COMITATUM VOCANT, NUNC MAXIME, POSTQUAM REGIS CHRISTIANISSIMI ESSE COEPIT, DICI LIBERAM OPORTERE.

Habita Cadomi, iii. Idus Nov. M. DC. LXXIV.

Quamvis intelligam vos, ob ea quæ ſunt à nobis hactenus præclarè felicitérque geſta, incredibili gaudio triumphare, Audit. Ornatiss. ſentio pleroſque tamen ex aliquo metu, quem difficultas ac magnitudo rerum afferebat, nondum penitus eſſe recreatos. Etſi enim in graviſſimo ac periculoſiſſimo bello curſum Gallia tenuerit longè ſecundiſſimum, atque ex his fluctibus inſigni felicitate, ac fato quodam ſuo emerſerit; tanta

vis periculi nihilominus ac procellæ fuit, ut ne nunc quidem gaudere ſine aliquo metu poſſimus; ut, qui diſcuſſa tempeſtate, portum tenent, albentes tamen irati maris fluctus, alliſaſque littori ſpumas trepidi contuentur.

Verum adeſte, quæſo, animis, ac timorem, ſi quis reſtat, omittite; nam, quod ſpectat ea, quæ parantur in poſterum, atque inſtant, poſſum ego, quantum homini fas eſt, præſtare felicitatem illam, quæ propria nobis hactenus ac perpetua fuit; quod attinet ad ea, quæ jam confecta ſunt, contudimus certè conatus infenſiſſimorum hoſtium, calliditatem eluſimus, vires ac potentiam infregimus; urbes ipſorum expugnatæ, fuſi deletique exercitus, diſſipata innumerabilis plenè copiarum ex Hiſpania, Belgio, extremiſque Germaniæ finibus collecta multitudo. Recordamini, per Deum Immortalem, quæ fuerit nuper expectatio totius orbis; quæ paucis antè menſibus, alacritas hoſtium; quibus votis, quàm lætis ominibus, victoriam ſibi triumphumque præcinerent. Batavi palam dictitabant advenisse tempus ſarciendi clades acceptas, & ulciſcendi doloris ſui: Hiſpani oblatam ſibi occaſionem rei contra Gallos bene ac feliciter gerendæ arbitrabantur: Germani ad paratam veluti deſponſamque prædam advolabant, jam Galliæ partes deſcribebant

inter

inter ſe ad vaſtitatem, ad cædes, ad incendia.

Quæ tum tua, LUDOVICE, mens? quàm acer tot in periculis animus, quàm ſui ſimilis & invictus fuit? Hoſtibus aditum in Galliam præcluſiſti; Burgundiam, opimum agrum ac latiſſimè patentem, ipſis inſpectantibus, expugnaſti; mox victoriæ reliquias ducibus tuis permittens, eoſdem hoſtes ſecundo prælio per Condæum, fatale Germanis nomen fudiſti: per Turennium, ſingulari conſilio ac virtute præditum, ſemel iterumque profligaſti; ubique vexatos ac malè habitos, alios aliò, quod rei caput erat, diſſipaſti. Ubi nunc ille exercitus tam operoſo delectu conflatus, Germaniæ Bataviæque robur, qui tantam ſpem hoſtibus, tantum vicinis ac finitimis terrorem afferebat? Jacet ille nimirum, ac ſe receptat in hyberna mancus ac debilis, poſt acceptam nuper ad Seneffum plagam, deinde Aldenarâ pulſus, poſtremò defatigatus ad Graviam trimeſtri obſidione, & exhauſtus: an potiùs triumphans, ut ſolet, ac urbiculâ deditâ ſuperbus? tantæ molis erat illa ſcilicet, ac cæteris cladibus, tot impenſis, tot laboribus, tanto tempore meritò redimenda!

Igitur ſoluti metu graviſſimorum periculorum, & acerrimi belli terrore liberati, colligamus tempeſtivos & maturos victoriæ fructus; atque ex tanta laudum ſegete, quam perſequi totam infinitum ſit, decerpam

aliquid unum, in quo regis inviɫiſſimi gloria, cujus prudentiæ, virtuti ac felicitati accepta hæc omnia meritò referimus, potiſſimum eluceat.

Ac mihi quidem omnia diligentiùs animo relegenti, quæ ſunt hoc anno incredibili cum virtute paſſim & felicitate geſta, videtur expugnatio ſuperioris Burgundiæ, ac deditio Sequanorum facilè primas ferre, orationemque ſibi meam præ cæteris vendicare; non ſolùm propter victoriæ magnitudinem, ſed etiam quod rerum iſtarum fons quidam & omen ſecundiſſimum exterterit. Hæc felicibus LUDOVICI MAGNI auſpiciis, rem per ſe ac ſuo illo marte adminiſtrantis perfecta, Gallorum fortunam confirmavit in poſterum & belli conſequentis victorem, ut ita dicam, impetum incitavit: hæc una maximè regiam victoriam, hæc præclariſſimum hujus anni fructum, hæc ſummam denique Sequanorum utilitatem & gloriam, quos hæc mea præcipuè ſpectabit oratio, complectitur. Horum ego libertatem (hac enim laude, hoc libertatis nomine dulciſſimo gloriantur) hodiè profiteor nunquam aut illuſtriori, aut tutiori loco poſitam fuiſſe, quàm cùm ſe Francis addixerunt, quorum inſigne quoddam, & gloriam cum nomine ipſo conſentiens, libertas eſt. Ne vos, Sequani, veſtræ ſortis ac fortunæ pœniteat; immo verò cladem veſtram lu-

cro apponite: præſtitit vobis vinci; nihil veſtræ libertati detractum, nihil imminutum eſt gloriæ, cùm in jura noſtra ditionémque conceſſiſtis, nunquam antea liberioribus vobis eſſe, nunquam dici potiori jure licuit.

Quod ut intelligatis quam rectè meritoque pronunciem, Audit. revocate, quæſo, in memoriam, Sequanis olim Comites imperitaſſe, à quibus hæc Burgundia ſuperior liberi Comitatûs nomen obtinuit: deinde etiam Duces, quorum Princeps fuit Philippus Audax, Joannis Galliæ Regis filius. Sed è Philippi ſtirpe, longo poſt intervallo, Carolus, cùm filiam tantùm heredem reliquiſſet, ea Maximiliano Auſtriaco nupſit; à quo ad Carolum V. Burgundiæ Comitatus, mox ad Philippum cæteróſque Reges Hiſpaniæ pervenit. Sic igitur contendo liberum Comitatum, nunquam liberiorem hactenus fuiſſe, ſive ſpectetur, uti tum pridem erat, cum à Comitibus obtinebatur ſuis; ſive ſpectetur idem Hiſpaniæ legibus imperioque ſubjectus. Quæ duo capita, duabus itidem orationis partibus ita complectar, ut minimè Sequanis ereptam libertatem, ſed aſſertam potiùs & amplificatam fuiſſe, facilè intelligatis.

Sed illud mecum tamen, antequam ad dicendum aggrediar, quæſo, ſtatuite, quod ad hujus cauſæ, quæ mihi pro libertate Se-

quanorum & gloria ſuſcipitur, intelligentiam pertinere vehementer arbitror, & in quo facilè nobiſcum ipſi, ut opinor, conſentient; æſtimandam non eſſe libertatem ex hominum barbarorum atque aggreſtium opinione ac ſenſu, qui tum ſibi demum videntur eſſe liberi, ſi ſoluti omni fræno ac dominatu fuerint, ſi res pro libidine adminiſtrent ſuas, ſi nullas leges ſequantur & colant, nihil quærant in medium, nullam publicæ rei, nullam onerum partem ſuſcipiant, ſine quibus tamen reſpublica conſtare nullo pacto poteſt. Eſt hæc ferarum libertas quædam, non hominum. Illa illa libertatis eſt ratio longè pulcherrima, quæ hanc populis facultatem affert, ut imperium amplum ac latè patens ornare omnibus rebus, ac tueri poſſint; propulſare à ſuis fortunis & capitibus hoſtium audaciam & impetus; ſuis denique ſe legibus inſtitutiſque continere: quo fiat, ut civibus iter ad opes gloriamque muniatur, populus rem faciat mercimoniis exercendis, nobilitas domi ac militiæ floreat, ſumma rerum ſit ubertas & copia, ſumma tranquillitas pacis & otii. Aïo igitur ejuſmodi libertatem oblatam eſſe modò Sequanis, cùm nobis adjuncti ſunt: eâdem verò illos, ſive cum ſuis Comitibus parerent, quod prima orationis parte oſtendam: ſive cùm ſervirent Hiſpanis, quod altera demonſtrabo; frui minime potuiſſe.

Ac primum quidem illud tempus, quo ſuis Comitibus parebant, quis facilè mihi non concedat periniquum illis ad libertatem & gloriam extitiſſe: tumque illos maxime ſerviiſſe, cùm liberi primùm ſunt appellati?

Sic enim ſtatuo, quod accidit ſingulis in civitatibus, hoc ipſum in regnis item & populis evenire. Ut enim in civitate varium eſt civium genus & multiplex, iique videntur omnium eſſe lautiſſimi, qui præclarâ & amplâ in domo verſantur, ubi res familiaris nitida & pinguis, omnia largè ſuppetunt, ac liberaliter: contrà verò locum illi civitatis infimum tenent, ac ſervitutem quandam aliis ſerviunt, quibus res familiaris eſt anguſtior: ita fermè in orbe terrarum, quæ magna quædam civitas eſt, ii maximè omnium videntur lauti eſſe ac liberi, qui ampliſſimis utuntur regibus, & florentiſſimo in regno continentur; illi verò ad mancipiorum ſortem eſſe conditionemque depreſſi, qui anguſtâ in regione, tenui quodam & obſcuro in loco verſantur. Et verò ſi, ut ab aſtris lumen in ſubjecta corpora, ita dignitas omnis in populos à regibus gloria proficiſcitur: omninò quò erunt ipſi ampliores, quò erit eorum principatus major, quò poteſtas, opes, regna latiùs patebunt, eò plus amplitudinis in ſuos & gloriæ derivabunt. Quid auguſtius olim Romano fuit nomine? quò non perva-

ſit illius gloria? cujus poteſtas complexa utrumque orbem, neque ullis videtur metis fuiſſe definita. Nonne jactari tum id ſolebat, ſenatores qui eſſent, principeſque civitatis, immò verò quemlibet è populo, regiam ſibi poteſtatem quandam arrogaſſe, ut ſanctum ubique Romani civis nomen, ac ipſis Regibus pertimeſcendum haberetur? poſtquam Romanum imperium domeſticis bellis ac ſeditionibus convulſum eſt, laceratum à barbaris, varias in partes & quaſi lacinias diſſipatum, quis eodem quoque motu civium ſingulorum amplitudinem labefactatam ac imminutam fuiſſe non intelligit?

Macedonum in Aſia nomen quantum olim, & quàm illuſtri poſitum loco fuit; cùm Alexander ille Magnus terrarum orbem triumphis ac victoriis ſuis impleviſſet? Eo ſublato, ejuſque ampliſſimâ ditione totidem in capita regeſque diſtributâ, regnator ille Aſiæ populus de ſolio veluti deturbatus eſt: mox in eam humilitatem ac ſervitutem, à qua primùm fuerant vindicati per Alexandrum, Græci Macedoneſque reciderunt. Enimverò fieri quî poſſit, ut minuti ac tenues illi dynaſtæ conferant hunc ſplendorem ſuis, quo ne ipſi quidem lucent? quo tandem pacto libertatem, opes, gloriam ſubditis ſibi populis impertiant, quas aliunde ipſi mutuantur? quaſi verò eſſet obſcurum, ipſos potentioribus quibuſdam regi-

bus ac fermè vicinis operam navare ſuam, eorum commodis, gloriæ, dignitatique ſervire, ab iiſdem accipere pacis leges, conditioneſque belli, ut niſi eorum nutu, commovere ſe non poſſint; aut, ſi faxint ſecùs, certum ſibi exitium ſtruant.

Habemus, Auditores, exempla domeſtica. Quam multos Rhenus ille, Galliarum nunc, ut olim, limes, alluit principatus? ſex, opinor, aut ſeptem minores id genus ditiones perlabitur, quæ tametſi ampliſſimis atque ornatiſſimis urbibus, opimis etiam agris abundent, quamvis ſui ſint juris, & magnam partem, ut aiunt vulgò, liberæ; nulli tamen reipſa non ſerviunt: nunc merent ſtipendia ſub Germanis, nunc ſub Gallis, nunc utriſque ſunt prædæ: quæ ſi ſatis haberent virium, ut per ſe, ac ſuis opibus niti poſſent, facilè vicinorum injuriam ſervitutemque propulſarent. Id ſcilicet rerum natura ſemper tulit, ut quæ imbecilliora ſunt, ea potentioribus addita & mancipata ſint. Ita neque ad publicam rem tuendam, & contra hoſtiles impetus defendendam, in quo præcipuè tamen libertas elucere debet; neque ad augendas opes privatorum, quæ unius belli tumultu, unà ſæpe irruptione profligantur; neque ad gloriam comparandam, quæ longè latèque pervagari amat, in anguſta regione præſidii ſatis eſſe poteſt.

Quis igitur dubitabit, quin agatur modò

cum Sequanis multò præclariùs quàm tum ageretur, cùm ſuos haberent ſive Comites, ſive Duces? quin eorum laxata veluti libertas, & amplificata ſit, cum ampliſſimum ſunt in regnum, ditionemque traducti? Age ſanè, licèt fuerint hactenus in Sequanis homines clariſſimi, itemque ſummis ornamentis fortunæ, virtutis, ingenii præditi, quis admodum tamen anteà de illis audierat? quid eſt ab iis præclarè geſtum ac fortiter, quod quidem mandatum literis aut monumentis proditum ſit? Nunc in ore totius orbis & oculis erunt, noſtri quoque nominis & famæ, noſtrorum triumphorum pars ad eos aliqua, neque illa, ut ſpero, contemnenda pertinebit. Intelligent brevi, ſi minus id modò ſentiunt, ſcitis enim ſub hæc initia, cum ejuſmodi mutatio incidit, commoveri populum vehementiùs, neque ſtatim priorem dominum, à quo cicuratus fuerat, aboleri; demum felicitatem ipſam aliâ re nullâ magis, quàm uſu ipſo experientiâque percipi: ſed intelligent brevi quantum ſibi, quantum libertati ſuæ atque gloriæ conſuluerint, quòd ei ſe addixerint populo, cujus antiquiſſimum poſt homines natos imperium, divina atque eximia fortitudo, felicitas incredibilis ſemper fuit: qui primis ipſis incunabulis, cùm nondum confirmatus planè & corroboratus videretur, cum illis monſtris hominum atque portentis, Ac-

tilâ, Gothorumque natione fœdâ & immani decertavit: qui Romanorum excutere jugum auſus, poſt etiam eum iiſdem ſocietatem iniit, poſtremò illis ipſis opem ac ſalutem non ſemel difficillimis temporibus attulit: qui victoriam & inſignia victoriæ retulerit: cui ſervire populi ampliſſimi, quàm aliis imperare maluerunt: qui denique cùm nationes maximas & ferociſſimas perdomuiſſet, eaſque habere in ſervitute poſſet, adeo ſe liberalem tamen, adeo libertatis amantem præbuit, ut ejuſdem libertatis ſignum quoddam ubique erexerit, & ſervile nomen ac morem, non ab inſtitutis modò ſuis & communi vitæ conſuetudine, ſed etiam ab ipſo loquendi uſu penitùs exulare voluerit; ut qui Francum dicat, is liberum hominem, & ſervitutis expertem appellare cenſeatur. Sacra bella, Italica, Anglica, Saxonica, & alia penè innumera, non ſolùm à Gallis geſta, ſed etiam confecta, ſatis argumento ſunt, nihil eorum aut intentatum virtuti, aut arduum fortunæ ac felicitati fuiſſe. Qui Romam, caput orbis terrarum, arcem omnium gentium, templum ſanctitatis & conſilii Chriſtiani, toties tutati ſunt, toties immaniſſimorum hoſtium furorem ab ea conatuſque depulerunt. Te, Syria, conteſtor; te, Paleſtina, vos Chriſtianæ Religionis incunabula, atque oræ ſanctiſſimæ, quæ Gallorum

olim victoriis triumphaſtis, pietate Gallorum ac Religione floruiſtis.

Nam quid ego de Hiſpaniâ & Germaniâ commemorem, quas exultantes ac imminentes Galliæ inflammato ſtudio, maximis copiis, unius alteriuſve hominis retardavit prudentia, virtus fregit, fortitudo debellavit? quæ cùm expertas ſibi ſæpe, ac funeſtas Gallorum vires, quas neque virtute ſuperare, neque aſtu ludificari potuerant, obruere numero, ac novâ belli mole perrumpere conarentur, Europæ totius oculos in Galliam admirationemque converterùnt. Inventus eſt nimirum Alexander, qui fœdus inter illas nexum, uti Gordium aliquem nodum, ferro frangeret: inventus Hercules, qui Geryonem tergeminum illum ac tricorporem perdomaret.

Hujus in gloriæ ſocietatem, Sequani, vocati eſtis: hæc veſtra jam decora ſunt, veſtræ laudes, veſtræ victoriæ: non jam in exiguo vobis angulo deliteſcendum; ſed in lucem, & in orbis theatrum prodeundum eſt. Macti animis igitur, & è veſtris aliquando latebris erumpite. Sunt in vobis, quos bella juvent, quos delectet campus ille militaris, tam multis nunc apertus ad laudem, quos alliciat cruenta laurus, & merenda ferro? vobis Germania, vobis Hiſpania ſe reſervant, veſtris manibus veſtris gladiis perituræ. Videre mihi jam videor inſtantem pri-

mo vere Condæum: ruentem alia de parte Turennium, quos viros, ſuperi! quos duces, quæ belli fulmina? his vos adjungite, veſtram illis navate operam, his ducibus pugnabitis, cum his vincetis, cum his triumphabitis. Sunt, quos literæ magis juvent, quos Apollinaris laurus hederæque, doctarum frontium præmia, magis delectent: eſtne ubi plus eruditis quam in Gallia tribuatur? ubi floreant liberales artes magis ac vigeant? ubi amplioribus præmiis ſummorum hominum ſtudia & ingenia provocentur? Sunt denique quos urbana gloria, quos regis conſpectus ad aulam alliciat: qui frui propius ejus majeſtate, in ejus verſari comitatu cupiant, & ab illo regum exemplo accipere præcepta maximarum artium, & illos haurire ſpiritus, quibus heroës fingi ſolent? adeant illi impunè, fruantur ejus & præceptis & exemplis.

Quis enim neſcit, quo ſit apud Galliæ reges loco, ſemperque fuerit nobilitas? quàm faciles ad ſe aditus eidem ſemper eſſe voluerint? norunt eam ſcilicet firmamentum eſſe ac robur ordinum cæterorum, ornamentum pacis, belli propugnaculum, columen imperii, certiſſimumque laborantis reipublicæ præſidium. Itaque illius nomen & noſtrâ & patrum memoriâ, ſanctiſſimum ſemper fuit in faciendis fœderibus, honeſtiſſimum in legationibus obeundis, regiis in ſpectaculis,

in regio comitatu, ſummiſque Reip. muneribus pulcherrimum. Difficile dictu eſt, utrum in illam plus dignitatis & gratiæ reges contulerint, an ipſa plus ornamenti regibus & opis attulerit.

Quàm multi fuere tum in Sequanis viri inſigni fortitudine ac genere, quorum virtus potentiſſimorum regum ornata beneficiis, incitata tot heroüm quibus aula Gallica ſemper abundavit, exemplis, exiiſſet ad commendationem hominum, ſi ex illis educta ſeptis atque cancellis, efferre ſeſe, ac veluti profundere potuiſſet? quàm multos fuiſſe arbitramini, quorum fama volitaret in ore omnium, & in memoriâ poſteritatis viveret, niſi his anguſtiis incluſa & opreſſa jacuiſſet? Accuſabant, ni fallor, fortunæ ac natalium injuriam quandam, quòd in eo ſe loco natos voluiſſent, in quo ſic tanquam in tumulo deſidiæ atque inertiæ cogerentur eſſe conſepulti. Eſt enim hic innatus ardor præſtantibus animis, ut ingentem aliquem ſibi campum optent, in quo excurrat ipſorum virtus: neque in unius tantùm urbis aut provinciæ velint, ac ne unius quidem orbis, ſi fas eſſet, ſed in quamplurimorum hominum oculis & luce verſari.

Eſt igitur, quod mihi primo loco propoſitum fuerat ad dicendum, eſt, inquam, Sequanorum conditio nunc melior ac libertas, quàm eſſet olim cùm iiſdem ſui Co-

mites imperitarent, quorum regio pariter & gloria tam exiguis terminis definita claudebatur.

Atque hîc, AUDITORES, aliquis, credo, me interpellabit, fatebiturque ſe facilè quidem adduci, mecum ut ſentiat, veram ac germanam libertatem illam eſſe, quæ viris primariis, ad quos pertinere libertas præcipuè debet, tantum afferat ornamenti, tantum ad vitam pro dignitate ducendam præſidii ſubminiſtret: neque ſe dubitare, quin Sequani hoc uno maximè nomine liberi tum demum extiterint, cùm natalibus velut educti ſunt anguſtiis, & in amplâ ditione collocati: pugnare tamen illud ipſum cum eo contendet, quod poſteriore loco mihi demonſtrandum ſumpſeram, eos idcircò potiori jure modò eſſe liberos, quia Gallicam in ditionem redacti ſint. Hanc enim ipſis libertatem perinde convenire, ſi ſerviant Hiſpanis, quippe quorum ampla ditio, magna potentia, opes minimè contemnendæ.

Audio: neque me fallit, quid reſponſuri plerique omnes ſitis: Francorum nomen adeò ſemper fuiſſe libertati veluti ſacrum, ut Francum inter ac liberum nulla, ne ipſius quidem vocis diſſenſio diſcrimenque ſit. Quæ quidem tametſi nemini venire poſſunt in dubium, ſunt alia tamen quædam nominatim, ex quibus efficiam hac

alterâ orationis parte, Sequanorum libertatem multò tutiori ac illuſtriori apud Gallos quàm apud Hiſpanos loco eſſe poſitam: quæ vobis facilè probatum iri certò ſcio.

Primùm ſinite me prætermittere querelas non nullorum qui ſe ab Hiſpanis gubernatoribus & præfectis durius haberi conqueruntur. Credo multa in eos jactari ab invidis & obtrectatoribus, multa etiam à pleriſque præter morem & veritatem augeri. Quanquam inſignem illam reipublicæ Chriſtianæ cladem, quæ ſuperiori ſæculo contigit, præterire tacitus nullo modo poſſum, cùm fœderatæ Belgii provinciæ avitam religionem patrioſque ritus unà cum Hiſpanorum imperio projecerunt. Nondum eſt obductum vulnus illud acerbiſſimum: obverſantur occulis adhuc disjecta templa, raptatæ cum ſacerdotibus virgines, profligata pietas, cultiſſima quondam regio ferro flammiſque miſerè deformata. Unde, unde prima tot malorum labes? quis vos Belgæ, quis, infelices Batavi, ad tam fœdam defectionem, invitos ac reluctantes adegit? Ita ſanè accepimus, eſtque ipſis Hiſpanorum annalibus ac monumentis proditum, Ducis Albani, & Granvellani præſulis acerbitate, ac ſeverioribus iiſtitutis eam tunc fuiſſe tempeſtatem in Belgio concitatam, quam ſedare deinde nulla prudentia ſapientiſſimorum hominum, nulla re-

gum fortiſſimorum arma depellere potuerunt.

Si cum Hollandis illi pacatius egiſſent, niſi ſuæ ſeveritatis unguem in exulceratis jam eorum animis & aculeum reliquiſſent; non impoſuiſſent Hiſpaniæ plagam illam inſanabilem: non dolori Belgarum & iracundiæ (quàm fuerit illa juſta, non diſputo) ſubjeciſſent eas faces, quas deinde tot Hiſpanorum cruor, tot Belgarum, reſtinguere non potuit. Non luctuoſo tamdiu bello conflagraſſes, infelix Flandria! non oppreſſam vi & armis religionem, ſublatam rem divinam, contaminatas & everſas aras, non exultantem impio latrocinio ſceleratæ gentis audaciam, orbis Chriſtiane, lugeres.

Eſt enim hic in gubernandis populis retinendus modus, AUDITORES, ut lenitate ſeveritas temperetur, & imperium, quod naturâ durum eſt, humanitate mitigetur. Vel modeſtiſſimi quique læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſſiti. Verùm iſta prætereo, tum quòd alienis criminibus non egeamus, cùm veris ac propriis laudibus abundemus. Sint, per me licet ea humanitate ac facilitate præditi Hiſpanorum præfecti quæ populorum animos conciliet; ſint etiam apud Sequanos præcipuâ integritate, juſtitiâ, fide; nihil hoc admodùm tamen illos, aut parum certè adjuvaret, tanto locorum intervallo disjunctos ab Hiſpanis ac diviſos.

Ut enim humani corporis membra omnia maximè continet ea communio, quâ inter ſe apta ſunt & colligantur univerſa, nullum ut abſit ab altero longiùs, ſed omnia cohæreant, ac per fibras, nervoſque cor ipſum & caput attingant, unde vis omnis in reliquum corpus, & vita ipſa diditur: ſic imperii partes conſtare, ac ſatis firmè inter ſe contineri nequeunt, ſi aliæ ſint ab aliis & ab ipſius imperii capite ſeparatæ.

Soleo regiones ejuſmodi remotas & ab aliis divulſas cum illis mundi plagis ac regionibus comparare, quæ quia longius ab Æquatore mediaque zona poſitæ ſunt, non niſi obliquum ſolem excipiunt; unde perpetuo conſtrictæ gelu rigent, nivibuſque ac pruinis obruuntur. Nunquam ditiora ſunt aquarum & ampliora flumina, quàm cùm abſunt à mari propiùs: eadem ſi retrò legas, & ad ipſum uſque fontem pervenias, vix inopes quoſdam rivulos invenies. Atque illud ipſum eſt à natura ſapientiſſimè comparatum: quæ certas regiones ab aliis ita diſtinxit, partim interjectis fluminibus, partim oppoſito montium aggere quodam & quaſi vallo; ut eaſdem conjunxerit aliis, & unius inſtar corporis coagmentaverit.

Ea Burgundiam Gallis attribuiſſe videbatur, & hinc Jurâ monte ab Helvetiis Italiâque reliquâ; inde Pyreneis montibus ab Hiſpaniâ ſecreverat: quo etiam ferebat

iniquiùs

iniquiùs, opinor eamdem diſtractam à ſuo penè corpore atque centro, Hiſpaniæ fuiſſe poſtmodùm attributam: cum quâ neque armorum inire ſocietatem, neque mercium ullam poſſet. Merces enim, credo, exportarent in Hiſpaniam Sequani, cùm eas apud Gallos & faciliùs & tutiùs collocare poſſent? auxilium ab iis poſtularent, cùm ante forent expugnandi ac ſpoliandi, quàm eſſet Hiſpanis de illorum periculo nunciatum? honores ab iiſdem & rei bene geſtæ fructum aliquem expectarent, ad quos rerum geſtarum penetrare fama vix poterat?

Quàm erat igitur illorum conditio ſorſque miſera, qui & ab Hiſpanis desererentur, & cùm à Gallis omnia peterent, per eos vitam & ſpiritum ducerent, ab iis tamen cogerentur eſſe Reip. ſtudio partiumque disjuncti! Tum illi, credo, ſe liberos, tum pulchros ac beatos putabant Hiſpanorum nomine ac præſidio? Quin igitur iſtis præclaris defenſoribus utebantur, quin eorum implórabant opem, quin fidem obteſtabantur, cùm eſt impetus à Gallis nuper in liberum Comitatum factus; obſeſſæ urbes, expugnatæ, captæ quà vi, quà deditione? ubi tum, quæſo, erant Hiſpani? ubi gentium deliteſcebant? quin libertatem ſuorum, fortunas, oppida tutabantur? Nam Sequanis quidem laus tribuenda, quòd ſe fortiter, quoad licuit, contra victores no-

ſtrorum impetus mœnibus ſuis ac propugnaculis texerunt ; venia danda , quòd ſe dediderunt ; Hiſpanorum verò accuſanda tarditas quædam & incuria , quòd eoſdem deſertos eſſe neglectoſque paſſi ſunt.

Sed hæc Hiſpanorum ſanè culpa nulla ſit. Quid faciant enim , aut quî tandem adeſſe laborantibus poſſint iis , à quibus tam longè abſunt : difficile eſt proculdubio tueri ditionem ab Imperii corpore longiùs remotam ; id quod nos ipſi in Italiâ retinendâ experti ſæpè ſumus. Hoc tamen Sequanos parum conſolabatur , quorum vicem dolebam equidem , cùm viderem eorum regionem aſſiduis bellis infeſtam eſſe , communique Marti velut obnoxiam : cùm imminerent eorum perpetuò mœnibus & jugulis vicinorum gladii ; quos neque depellere per ſe ipſi, neque alienis opibus poterant : cùm, etſi bella conquieſcerent, etſi breves induciæ reſpirare tantiſper illos ſinerent , rumore tamen ipſo belli perturbarentur ; ancipitique metu diſtracti fluctuarent , hinc ſibi ab Helvetiis , inde à Gallis metuentes ; Hiſpanorum armis parum tuti, Cæſareis nihilo ſecuriores.

In his fluctibus , in hoc belli vel inſtantis metu , vel tumultu jam ſævientis & commiſſi , in hoc timore ſemper impendentis exitii , quæro ego , quis libertati locus eſſe potuerit ? Eſt enim pacis cum libertate mi-

rifica conſenſio, neque aliud quidquam eſſe pax ab hominibus ſapientiſſimis dicitur, quàm tranquilla libertas : ſervitus, exitia, vaſtitates, ruinæ fortunarum, amiſſio libertatis & ſalutis, ærumnæ denique omnes, bellorum comites partuſque te terrimi eſſe ſolent. Hæc omnia bellum affert vel cùm denunciatum tantum atque indictum eſt, vel cùm etiam affectum eſt, ac pene ſublatum. Ipſum belli nomen inimicum eſt libertati atque infenſum ; ut res tam ſuavis, tam pia, tam ſalutaris, cum iſtâ tam tetrâ, tam triſti, tam turbulentâ convenire nullo pacto queat. Fruſtrà, fruſtrà, dum belli vis importuna ſævit, libertatem requiras, fruſtrà illam in agris, fruſtrà in urbibus, fruſtrà ſingulis in familiis deſideres. Abeſſe illam ab agris loquuntur exuſtæ meſſes, populatæ ſegetes, ſucciſæ ſylvæ, abducti procul in ſervitutem coloni, deſolati ferro flammaque pagi, ipſa camporum vaſtitas & multa ſolitudo conteſtatur. Abeſſe ab urbibus clamant armorum fragor, tormentorum fulmina, hoſtium inconditæ vociferationes, obſidiones, pugnæ, incendia. Eamdem abeſſe prædicant à familiis civium ejulatus, parentum lacrymæ, orbitas liberorum, triſtia ſublatæ libertatis ac peremptæ monumenta : his una maximè telis petitur, deflagrat ignibus, lugetur lacrymis, ruinis obruitur.

Hos mihi cadaverum acervos vide, quos fames, quos gladius hoſtilis, quos murales machinæ congeſſerunt? his jacet oppreſſa libertas. Disjectas murorum moles atque urbium fundo verſarum rudera contemplare: his obruta eſt. Agros cæde ac ſanguine ſtagnantes intuere: his illa ſubmerſa fluctibus eſt. Fumantes adhuc rogos, ſemiuſta buſta vides? hoc illius funus, hæ ducuntur exequiæ: iſtis rogis ambuſta libertas eſt, iſtis buſtis conſepulta. Ergo cui pax explorata non eſt, huic libertas explorata eſſe nulla poteſt.

Verùm ne id quidem Sequanis magnoperè noceat quòd ab Hiſpanis abſint longiùs, quòd perpetuis anteà bellis aut certè bellorum metu conflictarentur, ſint in ipſo Hiſpaniæ ſinu gremioque poſiti: an cum iis idcircò præclariùs agetur? num iis ad honores, ad magiſtratus capiendos, ad beneficia Eccleſiaſtica, ad familiaritatem regis, qui ſolent eſſe libertatis fructus longè ſuaviſſimi, aditus continuò liberior pateret?

Quæſo vos, qui mores Hiſpanorum noſtis, cogitate, quæ ſint illorum inſtituta. Paucos adhibet Rex in conſilium, delectos è regni primoribus, qui Reip. ſummam adminiſtrent: id porrò cavet ſanctiſſimè, ne quam Reip. partem attingant alii, quàm indigenæ; ceteri quamvis genere, prudentiâ, & aliis dotibus ornatiſſimi, ab iſtis adytis

ut profani procul jubentur eſſe. Beneficia Eccleſiaſtica, in quibus tantum eſt dignitatis, utilitatis etiam nonnihil & emolumenti, peregrinis illis & externis hominibus nunquam, niſi fortaſsè tenuia quædam & longiùs diſſita tribuuntur, quod in præfecturis quoque mandandis diligenter tenent; quæ præterea ut bene multæ ac frequentes ſint non ita ſunt locupletes tamen ac opimæ. Apud nos expedita eſt unicuique ad honores via: meritis illi paſſim ac virtuti, non gratiæ, non generi tantùm tribuuntur.

Nam quid ego de amplitudine pulcherrimi regni opibuſque commemorem? Ipſe verò LUDOVICUS quàm æquus omnibus, quàm in fortes & ſtrenuos viros liberalis, quàm prudens rerum æſtimator ac meriti? Eſt-ne privato cuiquam aditus ad amicum aut judicem, quàm ad Regem ipſum facilior. Quanta humanitas in accipiendis qui ad ſe adeunt, quanta comitas in audiendis, quanta in reſpondendo benignitas? Neque hoc verò peculiare illi nominatim & proprium, ſed omnibus quicumque hactenus rerum in Gallia potiti ſunt, ſolemne ſemper fuit, quos ea præcipuè laus & urbanitatis fama commendavit.

Conferte quæſo iſtam regum noſtrorum facilitatem cum Hiſpanorum moribus. Illi, aut plerumque domi ſe continent, aut ſi

quando prodeunt in publicum, è re ſua & majeſtate putant eſſe, quàm longiſſimè ſe à populo ſecernere: hi majeſtatem ita comitate temperant; ut quantùm eos ſupra vulgus regium decus attollit, tantùm ad omnes etiam infimos comitas humanitaſque deprimat: illi ambitioſo ſtipati ſatellitio copiam ſui vix faciunt; ad hos adire, cùm lubet, licet; neminem lictor improbus ſubmovet, neminem ſatalles arcet violentior: patent palatinæ fores, ut regia domus eſſe videatur. Si eſſent igitur Sequani à Gallis disjunctiſſimi, tamen ad eos adjungere ſe potiſſimùm deberent, quorum ſingularis humanitas libertatem ipſam ſpirat: nunc verò cùm hæc quoque opportunitas accedat, ut noſtrâ in ditione verſentur ut vicini ſint atque hoſpites, ut eodem cœlo utantur ac ſolo: quid eſt quod iis accidere poſſit optatius, quàm iiſdem nobiſcum inſtitutis & legibus conjungi, quos jam nobis locorum & regionis ſocietate, communione mercium, ſimilitudine animorum natura conjunxit?

Hunc igitur annum Sequani candidum ſibi & fortunatum longo intervallo illuxiſſe arbitrentur: gaudeant ſibi Galliam, ſe Galliæ reſtitutos; ſortemque ſuam & libertatem tantò meliorem eſſe intelligant, quantò vident agi modò cum Gallis, quàm cum Hiſpanis Germaniſve præclariùs.

Nos verò, AUDITORES, graviſſimi

ac periculoſiſſimi belli rationem explicatam divinâ atque incredibili regis prudentiâ & virtute cernimus, quam perturbare atque impedire nulla vis hoſtium, nulli conatus poterunt, rumpantur licet ac extrema omnia moliantur.

Et quoniam ab regiis laudibus hæc omnis oratio mea profecta eſt, in eaſdem ſanè deſinat. Equidem verè hoc mihi videor eſſe dicturus, etſi plurima ſint ab illo geſta ſuperioribus annis, quæ vix apud poſteros videntur fidem inventura, quæ miratus eſt orbis terrarum, Europa partim invidiâ, partim terrore perculſa ſuſpexit: illum ipſum tamen priſtinas laudes, libero Comitatu parto, mirificè cumulaſſe, neque aut nobis utiliorem aliàs aut ſibi glorioſiorem victoriam reportaſſe. Adierat ille quidem anteà Sequanos eoſdem, invitâ nequidquam hyeme, impeditiſſimo itinere, difficillimâ tempeſtate; ſed quamvis ab hyeme tum & cœlo ipſo nonnihil difficultatis ac periculi foret: parum certè ab hoſtibus fuerat, quos inaudita exercitus noſtri celeritas, & inſolentia expeditionis ita perculerat, ut abjectis armis, ultrò victorem exceperint, cui militare hyemem, ac tempeſtates ipſas obſecundare cernebant: ita non alia tum vincendi mora, quàm veniendi fuit. At non eadem modò belli ratio, quamvis exitus par & fortuna fuerit. Contra paratum hoſtem,

lectiſſima præſidia, urbes inſtructas rebus omnibus, ingenioque loci atque hominum induſtriâ permunitas depugnandum fuit. Belgarum arces idem LUDOVICUS MAGNUS, tribus antè annis, Tornacum, Inſulas, Armenteriam, Aloſtum, Furnas . . . everterat. Verùm levia quædam in pleriſque tunc erant præſidia; in Belgio Marcinus apparebat unus, qui noſtrorum celeritatem potiùs fugiendo fatigaret, quàm fortitudinem pugnando, & manus experiri vellet. Nunc autem arrecta Hiſpanorum virtus, conjuratæ contra nos Germanorum vires, Batavorum infractus, poſt acceptas nuper clades, ac retuſus quondam furor, adductus in ſpem, ac de integro concitatus.

Trajectum denique ad Moſam, expugnatum anno proximè ſuperiori: Batavia biennio antè perpetuis luſtrata victoriis, urbes obſeſſæ, captæ, expugnatæ uno impetu ampliùs quadraginta, quid habetis cum hac recenti victoriâ comparandum, non ſolùm propter vincendi difficultatem, ſed etiam multò magis propter victoriæ fructum & utilitatem? Et verò urbes illæ, quia non tam commodè retineri poterant, conſultò dimiſſæ ſunt; Burgundia tam eſt in poteſtate Gallorum propter vicinitatem, ut nullo negotio ſervari queat; tam eſt autem opima, tam fructuoſa, propter agrorum ubertatem, & earum rerum copiam, quæ

quæ poſſunt exportari, ut facilè cum integrâ Hollandiâ comparetur.

Hæc autem provincia tam accommodata Galliæ, tam latè patens, tam utilis, clauſtrum imperii modo Gallici, ac firmiſſimum propugnaculum, quantâ fortitudine, quantâ celeritate fuerit expugnata, quid attinet commemorare? quid afferri vobis novum, quid explicari pro dignitate poteſt? vel ex hoſtibus noſtris conjecturam Gallicæ fortitudinis, & argumentum capiatis licet.

Cùm Galliam non tam patentem & perviam reperirent, quàm fuerat ab amicis perſuaſum; cùm perire ſibi viderent tot copias, & ingentem vim lectiſſimorum hominum, infectâ re, confici otio & egeſtate, ſtatuerunt aliquando tandem, poſtmulta ultrò citróquehabita conſilia, ſpecimen edere virium ſuarum & prudentiæ. Rectè; necdum enim intellectum fuerat, quid conſilio, quid manu poſſent.

Erat Gravia in mediis ipſorum oris, ad inſigne quoddam dedecus, relicta: hunc ſibi ſcrupulum evellere, hunc pudorem abolere ſtatuunt: huc totâ belli mole incumbunt, huc feruntur, non tam de obſidione, quàm de ipſa deditione cogitantes; Quid enim urbicula faceret, à tot tantiſque copiis obſeſſa, omni ſpe auxilioque deſtituta? Gubernatorem appellant de deditione faciendâ. Hic obſeſſi reſponſare du-

riùs, deinde tormentis hoſtes longè ſubmovere: illi commoveri tantiſper; aggerem etiam ducere, urbem denique vi & arte obſidere. Unus dies abit, alter etiam, nondum Gravia deditur: pœnitet homines incœpti. Effluit interim menſis totus; rumpuntur ira & pudore. Quid agant? tormentis, ignibus miſſilibus, omni telorum genere muros, tecta ſuſdeque vertunt. Abeunt menſes duo, nondum Gravia deditur, quanquam nulla ferè jam eſſet, ſed everſæ tantùm Graviæ cinis, umbra, rudera: cum hac tamen umbrâ certabant hoſtes improbo & irrito conatu. Proceſſerat menſis tertius: nondùm dedebatur. Quæ res adeò moviſſe hominibus ſtomachum dicitur, ut ſtatuerent, niſi deditio brevi fieret, obſidionem potiùs perducere in decennium, quàm hanc ſibi labem inuri paterentur. Itaque illic jam hiberna conſtituerant, militarem annonam providebant in annos plurimos, & ante Trojam hanc Atridæ, Achilleſque iſti conſederant, conſediſſentque, ut puto, annos ipſos decem, niſi miſertus illorum gubernator, & victus tantâ patientiâ, patentes ipſis portas obtuliſſet.

Magna conſtantiæ laus, AUDITORES, & patientiæ, que inter virtutes imperatorias locum inſignem ſemper habuit, quam in Aldenarâ quoque obſidendâ ſi hoſtes

adhibuiſſent, militaris conſtantiæ ſpecimen ad poſteritatis memoriam ſempiternam ediddiſſent ; verùm eos ibi animus ille vigiliarum ac laborum tolerans, adventâte Condæo defecit ; metu neſcio quo , ſubitaque formidine perculſi ſunt, quæ in conſtantes interdum viros cadit. Sed hanc tamen levitatis labem ſarcire cùm ſtatuiſſent, quouſque poſſet ipſorum duci patientia, in obſidendâ tam conſtanter Graviâ declararunt. Hac laude, fateor, Gallis longè præſtant, qui ejuſmodi conſtantiam in urbibus obſidendis parum norunt. Cogitate enim quam celeriter occupata Burgundia fuerit, quàm brevi locata caſtra , confecti aggeres, & & ad ipſa urbium mœnia perducti, ut arces munitiſſimæ captæ ac labefactatæ, ut provincia denique ampliſſima citiùs ac faciliùs ablata fuerit, quàm oppidum ab hoſtibus expugnatum. Pars nempe tot laborum prima & maxima LUDOVICUS erat, quem neque periculum ab aggere & vallo, neque intempeſta nox ab aſſidua concuſſatione, non certa mors penè ab incerto difficilique marte revocabat. Unus omnia per ſe inſtruebat, unus omnia componebat, unus ducum omnium munera & penè militum obibat : alios urgebat imperio, ſtimulabat alios laudibus, omnes exemplo accendebat.

Quem te poſteà reducem tua Gallia, LU-

DOVICE, quàm hilaris & læta complexa eſt? Quàm erat verita, ne in his tantis laboribus periculiſque ſubeundis, venires in diſcrimen non modò valetudinis, ſed capitis etiam & ſalutis; cùm incertos belli caſus & necis adire, neque adire tantùm, ſed quærere & laceſſere videretis? Quid ab iſtis præclaris initiis non ſibi fauſtum ac fortunatum polliceri jure potuit? Hinc ducta nimirum eſt illa felicitas quæ vota etiam tua ſuperavit. Quid enim videbatur optandum fuiſſe ducibus noſtris, niſi ut ingreſſu prohiberentur hoſtes, atque à regni finibus arcerentur, donec illorum impetus & copiæ frangerentur ipſa die? Victi etiam ac profligati ſunt. Uti ne cladem & exitium inferrent Galliæ? cladem, quam nobis inferre moliebantur, ipſi graviſſimam acceperunt. Uti ne victores diſcederent, ſi consererentur manus? atqui etiam inferiores, multis millibus deſideratis, exuti caſtris, ſignis vexilliſque ſpoliati, diſceſſerunt.

Quid reſtat, niſi ut exercitus noſtri ad ſuos Penates, in patriam, ad dignitatem, quam in eâ ſibi merito propoſitam vident, redire properent, & in clariſſimam illam imperii noſtri ſedem victores invehi, cum inſigni, triplici ex hoſte ſuperato, laurea geſtiant; nos cum illis pariter, rebus in perpetuum confirmatis, triumphemus: & ſiquidem aſſertam aliis

cum gloriâ libertatem, & amplificatam gaudemus, nobis ipſis præcipuè hoc tantum boni, hunc fortunatiſſimum rerum curſum, hunc regem atque imperatorem, poſt hominum memoriam, maximum atque invictiſſimum gratulemur.

DIXI.

FLANDRIAM, NISI TOTA GALLICA SIT, FELICEM ESSE NON POSSE.

ORATIO.

HABITA PARISIIS KAL. OCTOBRIS ANNO MDC. LXXVIII.

POST incredibilem ſuperiorum annorum felicitatem, totque res fortiter & præclarè geſtas, eò provecta demum erat Galliæ totius ac Regis invictiſſimi gloria; nihil ut relictum eſſe videretur, quod optare nobis aut illi apprecari poſſemus. Invenit hoc anno tamen LUDOVICUS aliquid, quo priſtinas laudes ingenti acceſſione cumularet. Diſcuſſa penitus hoſtium conſilia, fracti conatus: everſæ arces & ingenio loci & artis præſidio munitiſſimæ: expugnata paucis diebus tria Belgi clauſtra, quæ ſingula vix annis olim ſingulis labefactari potuiſſent; fuſi, de-

letique ingentes terra marique exercitus: diſſipata denique innumerabilis pene copiarum ex Hiſpania, Flandria, extremiſque Germaniæ finibus collecta multitudo.

Magna hæc, AUDITORES, Neque hujus tantùm unius anni quo geſta ſunt: anni dico? non duorum menſium quibus vix totis omnia fuere confecta; ſed annorum multorum opus. Num vero quidquam priſcis illis atque heroicis temporibus factum accepimus, immo vero fictum ambitiosè, atque excogitatum, quod cum iis quæ cernimus, quæ miramur, comparari poſſit? Quid noſtra, quid patrum memoria, quid ab ipſis Galliæ incunabulis geſtum eſt illuſtrius? quæ major celeritas, in celeritate fortitudo, in fortitudine felicitas? Sed eſt in regiis tamen victoriis præcipua quædam dos & gloria, quâ fit ut ceterorum ducum omnium triumphis præcipuo quodam nomine antecellant. Funeſtæ ſcilicet populis & orbi toti fuerunt Cæſarum olim & Alexandrorum victoriæ, quæ unius vel alterius hominis laudem & gloriam auxerunt, hominum penè innumerabilium everterunt fortunas, ſalutem afflixerunt. Eas prædicabant fumantium provinciarum incendia, teſtabantur everſarum civitatum reliquiæ, perditarum gentium gemitus & ſuſpiria nuntiabant: adeo ut imperatores illi non tam de hoſtibus, quam de publica mortalium felicitate ac ſalute trium-

phum quemdam agere viderentur. Lugenda cerrè laus, infelix humano generi paucorum hominum felicitas, triſtis & inquinata multorum lacrymis lætitia!

Quàm diſſimiles LUDOVICI MAGNI victoriæ! hoc nimirum eſt earum factum, hæc laus egregia, quam ego unam ceteris laudibus antepono, ut ex illis non minor ad eos qui victi fuerint, quam ad illum qui vicerit, lætitia perveniat. Non ſolùm enim plurimum gloriæ victori conciliat propter eximiam illius ac divinam virtutem, atque adeo ipſis hoſtibus, quibus ab heroë poſt hominum memoriam maximo atque invictiſſimo vinci decorum eſt: ſed iiſdem prætereа tantum utilitatis affert, ut vinci præſtet quàm vincere; multòque meliori conditione ſint poſt victoriam, quàm vel erant antea, vel forent etiam fortaſſe ſi vincerent. Quod quidem ut merito de ceteris affirmare liceat, qui LUDOVICUM MAGNUM victorem experti ſunt, tum vero de Belgis pronuntiari potiori jure poteſt; quorum non tam dolendam eſſe vicem quàm felicitatem ſortemque prædicandam hodiè profiteor. Illorum opes & gloriam aïo nunquam aut illuſtriori aut tutiori loco fuiſſe poſitas, quàm cum ad imperium Gallicum acceſſerunt, pluſque ipſis à LUDOVICO MAGNO datum, quàm ablatum fuiſſe.

Ita ſemper viſum eſt hominibus ſapien-

tiſſimis ad publicam felicitatem duo inprimis requiri, quibus beata civium vita, quam tota reipublicæ adminiſtrandæ ratio ſpectare ſolam debet, , potiſſimum continetur. Primum eſt, ut nobilitas gloriâ & honoribus floreat: alterum, ut populus, opibus & fortunis augeatur. Cùm enim ſint duo genera civium, quorum unum laudi, gloriæ, ac dignitati natum eſt, alterum opibus magis & lucro ſervit: videtur illa eſſe reipublicæ forma longe pulchertima quæ hanc utriſque facultatem afferat, ut ea quibus addicti ſunt ſtudia non modò colere, ſed etiam ornare & amplificare poſſint. Sic igitur contendo, ejuſmodi felicitatem oblatam eſſe Belgis, neque illos, niſi ad Gallicum imperium penitus accedant, vel nobilitatis gloriam, quod priori parte orationis demonſtrabo; vel populi fortunas, quod poſteriori oſtendam, tueri & conſervare poſſe,

Atque ut de nobilitatis gloria priori loco diſſeram, videtur illa poſtulare primò ut illuſtrem habeat materiam, in qua feliciter elaboret. Deinde verò incitamentis quibuſdam accendatur ad capeſſendum iter illud arduum ac difficile, quo ad ſumma quæque pervenitur: denique fructus percipiat aliquos, quibus graviſſimos labores & exhauſta fortiter pericula conſoletur.

Videamus, quæſo, ubi tandem iſta tria

commodius Belgica nobilitas repertura ſit: an apud ſe, ac domi; an apud Hiſpanos; num demum in Gallia, ſi nobiſcum in imperii partem & gloriæ veniat.

Poſtulat nobilitatis gloria illuſtrem materiam, ingentem campum, in quo verſari cum dignitate poſſit. Eſt enim hoc ingenium & natura gloriæ, ut longè lateque pervagari amet: ignem dixeris, anguſtias omnes rodit, conſtringi non poteſt, tegi verò ac latere multò minus: eluctatur, ſi premis; ſua ſe luce prodit, ſi tegere atque occultare contendis. Quis igitur eſſe gloriæ locus in Flandria nunc poteſt? Quis aditus ad laudem apertus erit Belgis, dum ipſi ſuo ſe in Belgio continebunt, & ab Hiſpanis propter locorum intercapedinem, à Gallis verò propter bellorum diſſidia cogentur eſſe diviſi? Non accuſo jam anguſtias regionis, quas tamen periniquas eſſe gloriæ facilè intelligitis, quæque olim in cauſa fuerunt, cur plerique Belgæ nobiles ignavo in otio atque in umbra ſepulti jacuerint, quorum virtus educta in ſolem & pulverem exiiſſet ad commendationem hominum, & in memoria poſteritatis viveret, ſi ex illis patriæ ſeptis atque cancellis efferre ſeſe ac veluti profundere potuiſſet. Quod quidem eo gravius accidere Belgis debet, quòd tanta ſit virorum nobilium in hac una regione vis & copia, quantam in aliis am-

plioribus vix reperire ſit ; ut non magis fertilitate agrorum, ubertate paſtionis & earum rerum quæ exportantur, quàm virorum clariſſimorum læto proventu luxuriet.

Sed alium quemdam campum ad gloriam deſidero, qui non tam regionis amplitudine ac vaſtitate ſoli, quàm rerum gerendarum dignitate ac magnitudine definiatur: volo res eas ad agendum nobilitati eſſe propoſitas, in quibus elucere poſſit excelſitas ingentis animi: volo pulchram illi meſſem ſuccreſcere, quam ſanguine ſudoribuſque ſuis irriget; ac ferro, cum erit opus, metat.

Vos verò ille campus, hæc vos præclara gloriæ ſeges, Belgæ, deficit; quocunque incidunt oculi veſtri, nihil occurrit præter vulnera, clades, excidia: vix ulla ſpes vincendi; nulla rei bene gerendæ, nulla vos in libertatem ac decus priſtinum aſſerendi. Hoc enim ſi qua fieri via potuiſſet, ſi quis aliàs locus vobis datus erat recuperandæ veſtræ, cum ditione, dignitatis; oblatus ille certè hoc tempore videbatur, cum Hiſpania junctis Germaniæ & Europæ fermè totius ſignis & viribus, auxilio vobis venit, neque auxilio vobis tamen eſſe potuit, unas jam cupreſſos effert tellus Belgica, penituſque ad lauros, ad palmas alendas exaruit, ex quo omnes Gallica victoria demeſſuit. Quam triſtis eſt vobis Belgium veſtrum campus! ille Hiſpanorum & veſtro redundans ſanguine;

ille veſtrorum militum oſſibus cadaveribuſque conſtratus; ille deſolatos diuturna bellorum ſtrage, incultoſque agros miſerum in modum oſtentans. En qualem vobis campum temporum calamitas obtulit, in quo non habeatis curriculum ac ſtadium ubi veſtra virtus feliciter excurrat; ſed tumulum ubi turpiter obruatur: in quo non capteris intuentium plauſum & admirationem; ſed commiſerationem & lachrymas excitetis: in quo non depugnetis ut athletæ ac pugiles honorarii præmio aliquo inſigni conſtituto; ſed ut gladiatores ac buſtuarii, propoſita nece atque ignominia, concidatis.

Videte jam quàm diſpar ſit Gallicæ nobilitatis conditio; habet illa Germaniam, habet Hiſpaniam, Bataviam habet, Europam omnem, ac maria ipſa in quibus excurrat: palmares ſanè campos & feraces laurorum, unde tot victorias, tot jam triumphos collegit. Hic urbes expugnantur; quas expugnari non poſſe fama jactaverat: illic adverſi exercitus acie inſtructa profligantur: ibi ſedens ad obſidionem hoſtis depellitur obſeſſæ urbis mœnibus: alibi imminens Galliæ finibus infinita prope vis hominum ſuſtinetur neque ſuſtinetur ſolum, ſed eluditur; neque tantum eluditur conſilio & prudentia; ſed eliditur manu, vi perſtringitur, fugatur, conciditur: hic aſtu vincimus, hic palam & aperto marte;

illic cunctatione & mora, illic celeritate, ubique incredibili & hactenus inaudita felicitate. Hujus in gloriæ ſocietatem, Belgæ, vocati eſtis, hæc veſtra decora, veſtræ laudes erunt, veſtræ victoriæ. Non jam in exiguo vobis angulo deliteſcendum, ſed in lucem, ſed in orbis theatrum prodeundum eſt: non diſcenda periculis & cladibus militaris diſciplina, ſed triumphis: neque per damna, & probra enitendum ad gloriam, ſed per ipſos veluti gloriæ gradus ad gloriæ faſtigium & apicem conſcendendum. Habetis hic palæſtram dignam virtute veſtra, dignam nomine. Ecquid aſpicitis ſtantem primâ in acie LUDOVICUM, adſtantes una tot herores, quos viros, ſuperi! quæ belli fulmina! his vos adjungite, veſtram illis navate operam. Pars erit gloriæ non contemnenda hoc duce triumphare; nec leve incitamentum his ſociis æmuliſque dimicare.

Ad illuſtrem enim gloriæ materiam in qua cum voluptate nobilitas elaboret, accedant oportet incitamenta quædam & velut ſtimuli, quibus illa ſua jam ſponte currens urgeatur, & ad pericula vel graviſſima fortiter adeunda proliciatur. Hujuſmodi ferè eſt Regis conſpectus & præſentia; præclara item æmulatio, qua fit ut omnes ad gloriæ ſtudia certatim accendantur. Quibus præſidiis & incitamentis tam viden-

tur eſſe Belgæ deſtituti quàm præſto ſunt eadem Gallis & in promptu. Hoc omnes intelligitis quanti ad excitandos nobilitatis animos interſit Regem intueri coram,& ejus præceptis,ac multo magis exemplis inſtitui.

Videre vobis interdum, opinor, contigit LUDOVICUM MAGNUM ſtipatum agmine nobilium. Quæ vobis tum ſpecies obverſabatur animo? Nonne aſtrorum, quæ pulchro ſatellitio ſolem ſuum coronant, cujus viciſſim radiis coronantur? Nonne aquilarum, quæ inſidentes paternis humeris, fulmina, & vibrantiſſimam lucem irretortis oculis aſpicere condiſcunt? omnino quod anima ſuo corpori, quod orbi ſol, quod ipſi ſoli & cœleſtibus addita mens ad ciendos motus, hoc nobilitati Rex videtur eſſe, quam & exemplis ſuis colluſtrare & animare præceptis, ac ducere veluti manu debeat. Cogitate corpus anima ſpoliatum, orbem ſole, ſolem ipſum motore ſuo, & intelligentia, ut loquuntur; imaginem aliquam adumbraſtis nobilitatis regio conſpectu & exemplo deſtitutæ. Et ſane Regi naſcitur nobilitas, Regi pugnat, Regi cadit, ac moritur. A Rege igitur & vivendi leges accipiat, & pugnandi modum, & exemplum etiam, ſi neceſſe ſit,fortiter pro patria moriendi.

Quid ergo Belgis animi eſſe, quis illos ad res magnas gerendas excitare ſtimulus

poteſt, quos ea vox, hæc ſui Regis exempla deficiant? Immo vero, qui tamdiu dum in Belgio ſuo exulant, Rege penitus carere videantur.

Quàm diſpar, quàm felix nobilitatis Gallicæ ſors & conditio! hæc illa ſcilicet Regis præſentia tot in bellis eam accendit, impulitque, ut ſpretis periculis viam ſibi ad urbes inimicas per murorum labem, ac ruinam propugnaculorum aperiret. Quas tum illi vires, quos animos præ ſe tulerunt, cum ad Veſontionem, ad Trajectum, ad Cameracum nuper & Valentinianas pugnatum eſt? Cum præſentem omnia mortem intentarent; cum imber igneus & procella feralis undique ingrueret, ſecuri necis, tamen luciſque contemptores ruebant quò innatus ardor, quò pulchra gloriæ cupido rapiebat.

Quod ſi ad conſpectum Regis & exemplum accedat quoque multorum ardor nobilium & æmulationis præclaræ ſtudium, quantus hinc animorum æſtus, quàm incitatus ad gloriam curſus exiſtet? Hebeſcit enim ſine æmulatione virtus: eadem exemplo alterius, cui te parem eſſe velis aut ſuperiorem, veluti cote quadam acuitur. Præclara laus Gallicæ nobilitatis! Omnes in eodem gloriæ ſtadio decurrunt, nemo ſocium anteire non certat; nemini ætas, nemini claritas generis, nemini virtus emerita immunitatem à præclaris exercitatio-

nibus & vacationem tribuit: meruerit Hiſpanus contra in caſtris per annos aliquot, continuo veluti palmaris gladiator arma veluti figit ad poſtes Herculis, miſſionem obtinet; conſilio deinceps, non ferro, non manu, militat.

Quotus enim quiſque ex illis proceribus quos vocant & magnis viris, dimicat in primis ordinibus, manus in acie conſerit? Atqui hos decuerat exemplo præire juventuti, hos ut genere ſic virtute aliis eſſe ſuperiores, aliorum conatus & æmulationem accendere. Tu ſtipendiis aliquot confectis mihi deliteſcas domi, tu in urbe munita ſedeas otioſus, aut in ſenatu magna verſes conſilia, dum viret adhuc ætas, dum bella vires poſcunt? Quam tu igitur oſtendis reliquæ nobilitati viam, quod illi exemplum proponis? Quis recentes illos ac tirones bellatores, quis veteranos milites, quæſo, ſtimulus excitabit? Cum hi ſocio & æmulo, illi magiſtro deſtituti, ut habebunt neminem præeuntem ſibi, ſic nullum reperient, cui præire, quem antecedere, aut imitari ſtudeant.

Quamvis autem pulchra materies gloriæ, quamvis æqualium & Regis ipſius exempla ſatis ſuperque nobilitatem acuant; non reſpuit illa tamen fructus quoſdam & præmia, quibus, re bene geſta, perfruatur. Cujuſmodi ſunt pacis ac belli munera, præfecturæ

fecturæ locupletes & opimæ, ampliſſimus in repub. gradus, & alia id genus, quibus ornari ſpectata virtus, aut ingraveſcens ætas recreari, aut refici domeſtica res magnis interdum ſumptibus, & neceſſariis exhauſta, conſuevit. Hos præclaros gloriæ fructus, hæc induſtriæ præmia, hæc laborum condimenta & periculorum quam ægre apud ſe vel apud Hiſpanos Belgæ reperient, quam facile apud nos, quam opportune! Me quidem vehementer illorum miſeret, cum operam ab iis male perdi ſentio, cum illis ad honores, ad reipub. munia obſtructum iter eſſe video; alios aliò ablegari per cauſam honoris aliquando, ab urbium præfecturis & patriæ gubernaculis arceri. Quod quidem quare faciant Hiſpani, neque vos opinor fugit, neque hic animus eſt accuſare. Illud certè obliviſci non poſſumus, quod ſuperiori proximè ſæculo contigit, cum fœderatæ Belgii provinciæ avitam religionem, patrioſque ritus unà cum Hiſpanorum imperio projecerunt. Nondum eſt obductum vulnus illud acerbiſſimum, occurrunt oculis adhuc disjecta templa, pulſi ſacerdotes, cultiſſima quondam regio ferro flammiſque miſerè deformata. Unde, unde prima tot malorum labes? quis vos, Belgæ, quis, infelices Batavi, ad tam fœdam defectionem propè invitos ac reluctantes adegit? Ita ſanè accepimus, eſtque ipſis hujus

luctuoſi belli monumentis proditum, nobilitatis conſpiratione, quæ ſe contemptam querebatur, eam tum in Belgio concitatam fuiſſe tempeſtatem, quam ſedare deinde nulla conſilia ſapientiſſimorum hominum, nulla tot regum arma compeſcere potuerant. Si cum Egmontio, cum Hornano, reliquis nobilibus mitius actum eſſet, niſi ſuæ ſeveritatis aculeum in exulceratis eorum animis aliqui reliquiſſent, non impoſuiſſent ſortè Hiſpaniæ plagam illam inſanabilem, non dolori Belgarum & iracundiæ (quàm fuerit illa juſta non diſputo) ſubjeciſſent eas faces, quas deinde tot Hiſpanorum cruor, tot Belgarum, reſtinguere non potuit. Non luctuoſo tandiù bello conflagraſſes infelix Flandria! non opreſſam vi & armis Religionem, ſublatam rem divinam, contaminatas & everſas aras, non exultantem, ruptis frænis impietatem, orbis Chriſtiane, lugeres.

At vero Siculis quæ deinde cauſa fuit, cur Hiſpanorum jugum excuſſerint? Non vos fugit, qui ejuſmodi arcana noſtis, idcirco illos ad extrema deſcendiſſe, quod ſenatus Meſſanenſis dignitatem obtinere ſuam per Hiſpanos non poſſet. Hinc facta publicè lapidatio, cædes in foro, ædium nobiliorum incendia. Eſt hic ſcilicet in gubernandis viris primariis adhibendus modus, ut eorum dignitatis ratio præſertim habea-

tur : id niſi cavetur diligenter, vel modeſtiſſimi quique, contemptus impatientes, ut eſt nobilitatis ingenium, injuriam omni ratione ulciſcuntur.

Quam res apud Gallos habet ſecus ! expedita eſt hic unicuique ad honores via, meritis illi paſſim & virtuti, non gratiæ, non generi tantum tribuuntur. Quiſquis ſtrenuus, quiſquis fortis, hic Gallus, hic indigena cenſetur. Teſtes mihi tot inſignes tum domi, tum militiæ viri, alii ex Italia, alii ex ipſa Germania, alii ex aliis regionibus oriundi, qui ampliſſima gloriæ præmia, qui patriam ipſam in Gallia repererunt. Horum extant etiamnum aliqui, quos honoris causâ nominare poſſem, ſi aut obſcuri aut ignoti vobis eſſent.

Agite nunc igitur Belgæ nobiles, macti animis & è veſtris latebris atque anguſtiis aliquando tandem erumpite. Sunt in vobis quos bella juvent, quos delectet militaris ille campus tam multis nunc apertus ad laudem, quos deceant cruentæ lauri, pulchri frontis nobilis præmia. En vos Gallia vocat, lauros bene multas nec ita magno labore demetendas affert : præit vobis ad gloriam Ludovicus, ipſe vitam exemplo ſignat : advolat æmula nobilitas, voſque pulchri certaminis in partem libens adoptat nec dubitat palmas vobiſcum ſuas ex æquo dividere. Sunt quos urbana gloria, quos

aula magis capiat ; qui frui propius Regis majeſtate & humanitate, in ejus verſari conſpectu comitatuque cupiant, qui ab illo regum exemplo velint accipere præcepta maximarum artium, & illos haurire ſpiritus, quibus heroes fingi ſolent? Adeant illi ſanè, fruantur ejus humanitate & gratia, ejus oraculis per otium imbuantur. Utrique uſu ipſo & experientia cognoſcent, id quod mihi priori parte demonſtrandum erat, nullum eſſe Belgicæ nobilitati locum, vel clariorem Galliâ vel commodiorem, cum ſit omnino nullus ubi materia gloriæ uberior, majora incitamenta, fructus denique jucundiores reperiantur.

Videndum jam num ipſi populo Belgico major ſit alibi uſpiam facultas ad rem domeſticam faciendam, num ſuas fortunas, caput ac ſalutem aliter quam præſidio Gallorum & opibus conſervare poſſit.

Quemadmodum eam nobilitas maximè vitam ſpectat, quam alit gloria, quam immortalitas excipit: ita populus eam ferè fovet unam & amplectitur, quæ viget opibus; quæ lucro & re facienda conſervatur ac augetur. Hæc porro vita neceſſe primùm eſt ut ſalva & integra ſit ad incolumitatem: deinde affluens rebus omnibus ad ubertatem & commodum: denique ſecura & tranquilla ſit oportet ad felicitatem. Quid horum Belgis modò ſuppetit? Repetant ipſi

memoriam præteriti temporis, & ex iis qui-bus defuncti ſunt olim periculis atque exitiis, intelligant nullam ſibi ſpem eſſe non modò retinendæ ditionis, ſed etiam vitæ ac ſalutis, quandiu ipſis non bene cum Gallia conveniet.

Quid illis ſartum ac tectum fuit, vel cum pridem in Comitum ſuorum tutela & præſidio verſarentur, vel poſtquam in Hiſpaniæ jura legeſque tranſierunt? Quam ſæpè à vicinis populati, vaſtati à finitimis, à Gallis etiam ditione, vita, & luce ſpoliati ſunt. Meminerunt illi ſcilicet, volo enim penitus obliteratas, atque nec ſolum è noſtrâ; ſed ex annalium; ſi fieri poſſet, etiam deletas memoriâ, ſi quas ipſis clades intulimus, meminerunt, inquam, Hugonis Capeti, qui, cùm Arnulpho Comiti Flandriæ certis de cauſis eſſet infenſior, bellum ferale per Flandriam circumtulit: meminerunt iidem inſignis illius pugnæ ad Bovinas commiſſæ, ſuique Comitis Ferdinandi Lutetiam abducti: meminerunt acceptæ ad Caſſellum cladis ſub Philippo Valeſio, in qua duodecim ipſorum millia, itemque alterius ad Roſebeccam ſub Carolo VI. in qua 40 millia deſiderata ſunt. Quid? cum Franciſco I. & Carolo Quinto de orbis Imperio dimicantibus, belli ſummos inter viros concitati tempeſtas in Belgium ſemel iterumque incubuit? Quid cum eadem recruduit ſub ex-

trema Henrici II. tempora, mutuis Gallorum in Flandria & Hiſpanorum cædibus? Quid recentiora perſequar bella quæ in eodem Belgio & noſtra & patrum memoria geſta ſunt? Ita, Belgica infelix, Martis cruenti ſedes atque arena quædam fatalis extitiſti! Ita miſerorum civium nunquam uſquam explorata ſalus, dum bellorum, quæ alia ex aliis naſci & ſeri videntur, importuna vis ubique deſæviet! Quod ſi qui ex illis fluctibus ſalvi & incolumes emergunt, quam illi quæſo vitam vivunt, nonne ipſa morte diriorem? cum vacui ſint colonis agri, ſementis nulla fiat, nulla meſſis, cùm alat regio non maxima exercitus permagnos, partim ſuos, partim alienos, cum obteratur hoſtium copiis & ſociorum, quæ ſæpe ſunt hoſtilibus immaniores.

Equidem cum Flandriam intueor, videre mihi non parentem Belgarum videor ſed novercam: non illam virorum altricem & frugum, ſed orbatam utriſque nunc & viduam; non lautam domum & celebratam incolis ſed caſtra militum plena, tumulum cadaveribus refertum. Videre mihi victimam videor placandæ mortalium ac immortalium iræ deſtinatam, quæ hic mergatur undis, illic deflagret ignibus, alibi vinculis conſtringatur, cædatur alibi & non uno vulnere conficiatur. Neque hoc verò mirum ſit in exigua ditione, cui vicini po-

tentiores ad omnem belli anſam arripiendam parati ſemper immineant.

Quod ſi nulla ſpes incolumitatis eſt ac ſalutis, quæ poteſt eſſe ubertatis & abundantiæ? Satis conſtat ubertatem regionis alicujus & copiam rerum omnium commercio maximè contineri, cujus ea vis eſt, ut quæ domi nata ſunt, exportent alii ad alios, & quibus indigent ipſi, viciſſim iis aliunde importatis utantur perinde ac ſi domi nata eſſent. Ita omnis fert omnia tellus, & omnia poſſunt omnes ac efficiunt, dum omnes inter ſe juvant & alienis laboribus commodiſque ut ſuis perfruuntur. Quæ quidem Belgii laus præcipua eſſe poteſt. Quippe tot rebus affluit, tam varias ubique colit artes, tanta eſt fertilitate ſoli, tanta in mercibus concinnandis ac deportandis aliò ſolertia, ut ea re una ditionis anguſtias facilè poſſit compenſare, modò ſuppetat facultas commercii per quod vitam ac ſpiritum ducit. Quis autem illam ſuſcepto cum Gallis bello penitus intercluſam eſſe non videt? quis non intelligit Flandriæ totius commercium vigere in Gallia, & ut ita dicam, habitare? non ſolum propter vicinitatem, ſed etiam propter lautitiam, & opes Gallorum, qui cum vitæ delicias omnes & commoda conſectentur, ſumptus facere permagnos, ut ſcitis ipſimet, ſolent, illis quidem pro fortunarum copiâ non moleſtos; mercatoribus

verò perutiles, qui mercium variarum, neque admodum tamen neceſſariarum vim ingentem ſatis commodè collocare non poſſent, vel apud Germanos ejuſmodi deliciarum parum amantes & parvo ferè contentos, vel apud Hiſpanos primùm remotiores, deinde verò natura & neceſſitate parciores.

Quid quod Flandriæ portus pulcherrimi & maximi obſtructi modò ſunt à Batavis; id ſcilicet metuentibus ne tota commercii vis & ratio ad Belgas defluat: qui quidem, ſi vel ad portum Antuerpienſem liberior pateret aditus, facilè vincerent Hollandiam, propter ſummam Antuerpiæ opportunitatem, & Batavorum portus omnes nullo negotio contemnerent.

Mihi ſane, illa ipſa, quæ objacent Antuerpiæ, maria mutatam temporum rationem videntur agnoſcere, ac ingentes illas carinas requirere, quibus ora hæc omnis maritima prætexebatur olim, cùm huc è Germania per Rhenum, per minores fluvios bene multos è Gallia, per vaſtum ſenſim allabentis Oceani ſinum ex omni terrarum orbis parte naves confluerent. Parietes verò illius baſilicæ in quam convenire mercatores ſolent, illacrymare mihi videntur, & hodiernam ſolitudinem cum priſtina frequentia & celebritate comparare. Ingentia autem illa fora quæ inſtitoribus & emptoribus pridem calebant, jam frigent & vacuis latè porticus

ticus ac mercatorum abacos pœdore obſitos ac ſqualentes deplorant. Accedant modò Belgæ ad Gallos, hæc vincula & impedimenta perfringent,portus ſuos habebunt patentes & ad omnem commercii facultatem expeditos, ſuas indigenis opes, ſuas Antuerpiæ ceteriſque ampliſſimis emporiis merces mercatoreſque, ſuum Flandriæ decus, neque ubertatem tantùm,ſed felicitatem etiam cum ſecuritate ac tranquillitate reſtituent. Quæ ſecuritas tranquillitaſque ſi abſuerit, nunquam exiſtet florentiſſimus ille in otio reipublicæ ſtatus, ad quem omnia referuntur: nihil erit quidquam certi, nihil probè conſtituti.

Hac autem tranquillitate pacis, hac otii beati ſecuritate frui tenuis & anguſta regio nequit, niſi potentiori ſe jungat cujus viribus niti poſſit: ut proceris arboribus admoveri ſolent arbuſculæ,quæ reperent alioquin humi, & obtererentur. Id ſcilicet rerum natura ſemper tulit,ut quæ ſunt imbecilliora, validioribus addicta & mancipata ſint. Quæro jam ubi poſſint eſſe Belgarum opes meliùs ac certiùs fundatæ, quàm ſi Gallorum opibus & præſidio nitantur? Quid enim eos juvat, quod Hiſpaniæ ſunt adjuncti, à qua tanto locorum intervallo disjunguntur? Ut enim humani corporis membra maximè conſervat ea colligatio qua inter ſe apta ſunt & v inciunt univerſa, adeo ut nullum ab-

ſit ab altero longius, ſed omnia cohæreant, ac per fibras nervoſque cor ipſum & caput attingant, unde vis omnis in reliquum corpus & vita ipſa diditur: ſic imperii partes conſtare ac ſatis firmè inter ſe contineri nequeunt, ſi aliæ ſint ab aliis & ab ipſius imperii capite ſeparatæ. Quid deinde? Opemne ac præſidium fractis rebus Belgæ petant ab Hiſpanis quorum ipſorum afflictas res ac deploratas intuentur? O præclaros cuſtodes alienarum opum, qui ne ſuas quidem tueri poſſint! qui cum viderent bellicam rem in Belgio parum ſibi è ſententia procedere, ad Batavos confugere non dubitarunt, & ab iis quibus juſtam perduellis labem ſempiternam eſſe voluerant, quibuſcum capitale odium ac internecinum bellum ſuſceperant, ab iis inquam pacem ſuppliciter & veniam expoſcere maluerunt, quam amicis uti Gallis, quibuſcum ipſos & domeſticæ rationes & ſua voluntas recenti fœdere conjunxerant. Quid? cum eos Batavorum arma defeciſſent, quorum opes & vires Gallici martis victor impetus attriverat, cùm ſe ad Germanos contuliſſent, quid eſt ab illis profectum hoc fœdere, quid allatum auxilii rebus perditis ac depoſitis? Inventus nimirum eſt Alexander in Gallia qui fœderis ejuſmodi Gordium nodum ferro diſſolveret: inventus Hercules qui Geryonem illum tricorporem eliderer.

Ne vetera & longinqua repetamus, hæreamus in hoc anno, de quo uno cogitans hoc ſentio, Gallicam rem nunquam aliàs illuſtriorem extitiſſe. Neque enim hoc tantùm egimus ut hoſtes nihil agerent, ut nihil detrimenti nobis afferrent: vexata inſuper eſt illorum regio, capta oppida tria maxima & ad inſtituti belli rationem neceſſaria, copiæ collatis ſignis ſemel iterumque profligatæ. Vel unum Cameracum quot urbium inſtar ac triumphorum eſt! Ille Picardiæ quondam terror, Hiſpaniæ tot in cladibus non læva ſpes: quam ſæpe vaſtitatem & ſtragem intulit finitimis agris & urbibus quæ vel in media pace conquieſcere non poterant & Hiſpanum nomen in ipſo Galliæ gremio formidabant? Ubi verò claſſicum increpuerat, an non inde ſtatim erumpere in ſubjectos agros tempeſtas prima belli ſolebat, tantòque ſævire crudelius, quantò liberiùs in arcem ſuam ſe recipiebant præſidiarii; ſi tamen arx illa dicenda erat potiùs quàm ſpoliarium Gallorum & hoſtilis prædæ triſte receptaculum. Triumphabant Hiſpani hac urbe una in Gallico limite ad ſuperiorum temporum memoriam & noſtrum dedecus relicta; depoſcebant obſidionem ultrò & ne non obſideretur, timebant: ignari quidem certè quantum hæc ab illis mutata ſint tempora, quantum Ludovicus ab aliis imperatoribus diſcrepet.

Hæc nimirum erat Carthago ſemper Gallis infeſta de qua nunquam erat ut olim de veteri Carthagine diſputatum an exſcindenda foret, ſed an poſſet exſcindi dubitatum hactenus fuerat. Pudebat ſanè ac pigebat eam unam urbem, cùm aliæ ruerent, ſtare, aliarum veluti ruinis altiorem.

Ad hanc, opinor, duces noſtri ac imperatores, tuque ipſe, LUDOVICE imperatorum maxime, cùm ad rhenum fulminares, cùm urbes 40. uno impetu expugnares, cum, quidquid erat obvium, perrumperes, ad hanc inquam reſpectabas, atque hanc unam iratis veluti ſuperis frui; & alienis ſuperbire cladibus iniquiſſimè ferebas. Acceſſit illa nunc ceteris triumphis tuis, non tantùm ut cumulus rerum antea geſtarum, ſed ut omen etiam conſequentium.

De Cameraco uno dixi: pars quota rerum hoc anno perfectarum fuit? quid? Valentianæ, num Cameraco ipſi concedunt, ſive ſpectetur victoriæ difficultas, ſive utilitas etiam & fructus? Num Audomaropolis, ad cujus expugnationem iter ſibi Regis invictiſſimi frater, uno fratre minor, nobili victoria ſtraverat. Quid? factum poſtea ſecundum in Catalania prælium, quid victos maritimis pugnis hoſtes commemorem? longum eſt omnia perſequi, & excludor anguſtiis temporis. Quamquam Friburgum, quod pene incurrit in oculos, præ-

tetire tacitus nullo modo poſſum: quinto, quam erat oppugnari cœptum, die captum nudiuſtertiùs & expugnatum eſt, inſpectantibus prope hoſtibus ac frigida cum hyeme quaſi conjuratis, ſeque cum illa victos deceptóſque frementibus. Quam ipſos ea victoria conturbavit! juvat meminiſſe quemadmodum excubarent in omnes partes; ut aciem ingenii ſui & prudentiæ contenderent, ne quid à nobis tentaretur, quo ſtudio militibus & bellica ſupellectili refercirent eas urbes ad quas oculos adjicere poteramus: quibus paratis probè ac munitis Friburgum tamen paratius videbatur: tum propter opportunitatem urbis, unde in eorum ditionem aditus latè patet, tum propter initum ab iiſdem conſilium obſidendi propediem Briſaci, quam in rem & molitionem genus omne commeatuum eò loci congeſſerant, ſatis commodè ad rationes noſtras qui, Deo bene favente, hiberna hic eramus habituri. Felix hujus anni clauſula; eò gratior, quò recentior, & minùs expectata! Ea ſunt ex quibus Belgæ hoſtium imbecillitatem, Galliæ potentiam & vires intelligant, exiſtimentque, quantum in ejus armis & auxilio præſidii ſibi ſuiſque fortunis comparatum ſit.

Gaudeant igitur Galliam ſibi eſſe redditam; ſe Galliæ reſtitutos, cui tot vinculis aſtricti fuerunt olim ac devincti. Gratulen-

tur ipſi ſibi,ut faciunt, quod certam in clade ſua ſalutem, in Regiis triumphis ſuam quoque gloriam & incolumitatem reperiant. Invideant illis vicini, neque modum ſuis ærumnis alium poni poſſe putent, quam ſi eoſdem imitentur quo id cumque modò tandem fiat, videantque ne quam afferant felicitati ſuæ moram, ſive illos belli ac victoriæ, ſive, quod malim, pacis conditio, Gallis adjunxerit;cum ex iis quæ dixi hactenus, colligere facile poſſint Flandriam, niſi tota Gallica ſit, felicem eſſe non poſſe.

Quid eſt autem, Belgæ,quod veſtros animos facere propterea dubios in ea cauſa poſſit? excutite omnia, expendite ac verſate in omnem partem, huc vobis tandem ſerius ocyus redeundum eſt; neque jam agitur utrùm felicioribus vobis hoc an illo regni ſtatu eſſe liceat, in quo tamen ſatis mihi videor hactenus oſtendiſſe quid è re veſtra ſit: ſed agitur utrùm ſalvi omnino & incolumes ſitis. Aut vertendum ſolum & in alias procul terras demigrandum, aut perpetuo bellorum incendio deflagrandum, donec in patriæ ruinis & miſerabili buſto ſepulti jaceatis. Quid animi vobis eſſe poteſt, cum, quantum eſt in vobis virorum nobilium, aut luctuoſo confici bello videtis, aut otio turpi conſeneſcere? Cum imminent veſtris quotidiè mœnibus & jugulis vicinorum gladii, quos neque depellere per vos ipſi, ne-

que alienis opibus & auxilio poteſtis ? cum etſi breves induciæ reſpirare vos tantiſper ſinant, rumore tamen ipſo belli ac metu ſuſpenſi eſtis & miſerè anxii ? cum ancipiti periculo diſtracti fluctuatis, hinc à Germanis interdum & Batavis, inde à Gallis metuentes; Hiſpanorum armis parum tuti, Cæſaris copiis nihilo ſecuriores, veſtris arcibus & oppidis licet munitiſſimis aut exuti jam, aut exuendi cum irruptio facta erit ? In hac temporum calamitate, in hoc belli ſemper vel inſtantis metu, vel tumultu jam ſævientis & commiſſi, in timore ſemper impendentis exitii, quæro ego quis gloriæ, quis ſaluti, quis felicitati locus eſſe poſſit ? Reſpicite vos aliquando tandem, & ubi rerum ac locorum ſitis attendite.

Quid vobis tutum, quid uſpiam per tot annos, dum bellum apud vos conſedit, pacatum ac tranquillum fuit ? exuſtæ meſſes; ſuccisæ ſylvæ, perempti aut abacti procul coloni, populati ferro flammaque pagi, ipſa camporum vaſtitas & muta ſolitudo quid loquitur? quid in urbibus non perturbatum ac miſerum ? quàm fœda facies omnium ac luctuoſa ? Non eſt enim ejuſmodi bellum, quo pars aliqua ditionis veſtræ tantum laboret, ſed commune quoddam & inteſtinum incendium, quo tota regio depaſcatur & abſumatur, ubique inſonant armorum fulmina, hoſtium inconditæ vociferationes, ci-

vium ejulatus, in uxorum periculis, in maritorum nece, in funere liberorum & miſerrima orbitate. Hos mihi cadaverum acervos intuemini, quos fames, quos gladius hoſtilis, quos murales machinæ congeſſerunt: dijectas murorum moles atque urbium everſarum rudera contemplamini, agros cæde ac ſanguine ſtagnantes, fumantes paſſim rogos aſpicite: hoc veſtrum funus agitur, hæ ducuntur exequiæ. Saltem ſi quid ſpei relictum eſſet in poſterum, ſi qua ſpes inquam fortunæ melioris affulgeret? Videte contra quam præclare cum illis agatur, qui ſe receperunt in Galliæ tutelam: læti ac feriati vitam in otio beatam ac tranquillam vivunt; ita pacati, ut ſi regione tota nihil bellorum eſſet; ita rebus omnibus affluentes, ut ſi nihil ipſis temporum ſuperiorum calamitas abſtuliſſet; ita ſecuri procellæ omnis ac tumultus, ut ſi penitus in Galliæ gremio degerent.

Quid igitur eſſe cauſæ poteſt quin eorum inſtitutum amplectamini, quorum ſortem vobis optandam eſſe judicatis? quoties ipſi vota feciſtis non tacita nec occulta, ut pacatis vobis liceret eſſe, ut ne vos amplius diviſos ac utrimque raptatos utrique tum Hiſpani tum Galli lacerarent, ſed ut alteris addicti pacem aliquam & quietem obtineretis? nunc eò vos tempus & felix neceſſitas adegit, nunc votorum ſummam vobis

attulit, quam optantibus nemo promittere potuiſſet.

At ego vos, Divi Flandriæ præſides oro & obteſtor, ut hoc aliquando conficiatis: vel etiam te, Ludovice Magne, cui fato quodam ac voluntate Numinis iſtæ videntur provinciæ deſtinatæ, ut quod incepiſti tam felicibus auſpicibus, abſolvere porro pergas, ut Belgæ tot bellis attriti, tot confecti ærumnis, tot injuriis appetiti, in tuo tandem imperio, in tua æquitate & humanitate, quam toties jam experti ſunt, aliquando conquieſcant.

Dixi.

AD PANEGYRICUM DICTUM

LUDOVICO MAGNO

RELIGIONIS VINDICI,

EPISTOLA DEDICATORIA

ILLUSTRISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

FRANCISCO

HARLÆO

PARISIENSI ARCHIEPISCOPO,

DUCI AC PARI FRANCIÆ, REGIORUM ORDINUM COMMENDATORI, SORBONÆ PROVISORI.

TAMETSI *quod offertur à me tibi*, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *quam ſit exiguum ac leve munus intelligam : vel ipſo tamen argumento, ut alia deſint, non ingratum tibi eſſe debet. Religionis quippe lau-*

des ac Regis complectitur, quo utroque nihil tibi carius quidquam fuit, ſed neque cum tua laude conjunctius : quis enim neſcit quo tu Religionem apud te, quo te Rex apud ſe loco eſſe velit? Neque verò conſervatam ac florentem Religionem laudare quiſquam poteſt; quin hujus tu quoque argumenti pars magna ſis, qui eam, non alio atque ipſe Rex animo ac ſtudio, contra tacitos illius vel apertos hoſtes propugnare tam fortiter ac tueri pergas.

Ea verò laus ejuſmodi eſt, quam ne tua quidem modeſtia, licèt ægrè ſe laudari ceteris in rebus ferat, recuſare poſſit. Omittere illam certe ac ſilere non debent ii, quibus cordi atque curæ cauſa Religionis & honor eſt : qui gratiam habere ſuperis non ceſſant, quod regi fortiſſimo ſapientiſſimum præſulem, fortiſſimo præſuli regem ſapientiſſimum adjunxerint. Nimirum illud ſperare nunc demum licet, quod fruſtra majores noſtri tot votis optarunt, quodque magna jam ex parte confectum videmus, fore ut Galli veterum ſuper avita Religione litium ac bellorum pertæſi eandem omnes in fidem ſententiamque conveniant : ac, te regiæ pietati deligenter, ut facis, obſecundante, redditam penitus Galliæ pacem, neque tantum externa bella, quæ plus ipſi laudis afferebant quam detrimenti ; ſed luctuoſa iſta & inteſtina, quibus olim pene concidit, feliciter extincta gratulemur.

LUDOVICO
MAGNO
REGI CHRISTIANISSIMO
CATHOLICÆ
ET AVITÆ RELIGIONIS
VINDICI
PANEGYRICUS.

DICTUS PARISIIS III. KAL. OCTOB.
AN. M. DCLXXX.

EST illa Gregorii Magni vetus & majoribus noſtris glorioſa vox, ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, CETERIQUE AUDITORES ORNATISSIMI; *Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gen-*

tium regna regni Francici culmen excellere: Sed hæc recens, atque illuſtrior profectò noſtrorum temporum felicitas & gloria, quod cum ſingulari numinis providentia regem nacti ſumus, qui tanto regibus aliis antecellit, quantò Gallia reliquis omnibus regnis præſtat. Hinc illud MAGNI cognomen quod ipſi populorum omnium conſenſu, & orbis terrarum ſuffragio delatum eſt; cujus partes omnes numeroſque ſic implevit, ut à veritate donatum non oblatum ab adulatione, aut per ambitionem extortum fuiſſe, facilè appareat.

Magnum eſſe illum arguunt tot bella maxima & difficillima, Batavicum, Belgicum, Hiſpanienſe, Germanicum, Anglicum, terreſtre, maritimum, non ſolùm ab illo confecta ſine ulla offenſione, ſed etiam cum ingenti gloriæ & regni acceſſione. Magnum oſtendit ſapientia ſingularis, qua regnum ampliſſimum, tam varia cum finitimis, cum exteris negotia, unus prudentia & conſilio ſuſtinet atque adminiſtrat. Magnum declarat regius ille ſplendor, quem in palatio, in publicis operibus, in magnificis ædium ſubſtructionibus, in omni apparatu explicat. Magnum illa dignitas oris magnitudinem latentis animi præ ſe ferens, quam nemo, qui quidem viderit, non ultro coluit. Magnum adjuncta majeſtati Comitas & modeſtia, quam nemo, etſi hoſtis,

etſi victus, non amavit. Magnum docent emendata jura, compreſſus certaminum ſingularium furor, habitæ nuper de veneficiis & graviſſimis id genus criminibus, quibus tranquillitas publica laborabat, quæſtiones. Magnum opus & par tot immenſis domi ac militiæ ſumptibus copia. Magnum denique pax Europæ redonata, & repreſſæ medio in curſu victoriæ, loquuntur.

Unum eſt tamen in quo mihi multo quam in ceteris omnibus major videtur eſſe; quodque eſt hujuſmodi, ut ſi non aliunde magnus merito diceretur, ab hoc uno capite maximus appellari jure poſſet. Quid illud? Vindicata religio, aſſerta fides catholica; hæreſis, quæ in florentiſſimi regni gremio tot annos inſederat, extremo confecta ſpiritu & prope jam ſepulta.

Hanc regiæ laudis partem hodie mihi ſumpſi celebrandam, AUDITORES, quæ nondum à noſtris oratoribus pertractata, vel delibata certe tantum fuit. Sileant profanæ laudes, quibus hactenus indulſimus: conticeſcant militum fauſti plauſus & ſecundæ acclamationes, quibus aures noſtræ ſuaviſſime perſonuerunt. Aliud ingredior laudum argumentum, quod profanum nihil habeat; tantoque ſit ceteris, quæ celebrata ſunt hactenus ex hoc ipſo loco, argumentis illuſtrius, quanto humanis rebus omnibus religio, quanto Deus ipſe

hominibus antecellit. Itaque non te, REX MAXIME, bellatorem, ut olim, non pacificum, ut nuper; non arbitrum Europæ ac moderatorem orbis, ut alii; ſed Chriſtianiſſimum, ſed Catholicæ & avitæ religionis vindicem hodie prædicabo.

UBI primum è ſolio tanquam ex editiore loco deſpectare Galliam univerſam LUDOVICUS cœpit: cum hæreſim etſi paternis LUDOVICI Juſti laboribus ac triumphis vehementer debilitatam, nondum tamen attritam; religionem plurimis in locis graviter conflictatam aſpexit: ingemuit. Intelligebat nimirum ſibi religionis tutelam, tum communi regis nomine, tum quod eſſet regum * Chriſtianiſſimus, præcipuè demandatam: reges Dei fœderatos & vicarios quoſdam eſſe in ejus auctoritate ac dignitate propugnanda: eoſdem quaſi tutores curandis populorum bonis, in quibus religio facilè principatum obtinet, divinitus inſtitutos. Audierat variis è caſibus pendere hominum fortunam ſingulorum, at ex una religione apta eſſe regnorum fata: meminerat etiam ſe, cum primùm fauſtis ominibus regnum auſpicatus eſt, hoc dixiſſe ſacramentum, hac ſe ſponſione ſanctiſſima obligaſſe; ut avitam fidem pro virili tueretur, ſe regnum à Deo accepiſſe, quod Deo ſervaret; neque ſatis tutò ibi regnare poſſe,

* Sixtus III.

ubi fides vera, pietaſque ſerviret : habebat exempla domeſtica, quibus idipſum doceretur : denique recurſabant animo præclari illi Religionis defenſores, CLODOVÆI, CAROLI MAGNI, HENRICI, LUDOVICI, quibus editum ſe gloriaretur, & quorum famam ceteris in rebus aut æquare, aut etiam ſuperare certaret. Quid ageret tamen, AUDITORES? Quid conſilii caperet? Videbat è ſuis anteceſſoribus alteros nimia velut æquitate, alteros indulgentia & benignitate præpoſtera peccaviſſe : hos foviſſe vulnus quod ſecandum erat; illos, dum paulò acerbiorem adhibent medicinam, ut malum ingraveſceret feciſſe. Viam inter utroſque mediam ſecutus eſt : Deum ipſum quem imitaretur, aſpexit; cujus ratiò gubernandi hoc habet, ut efficaciſſima ſit eadem & ſuaviſſima. Perſequitur fortiter quod eſt è ſua dignitate; ita ſe rebus tamen ipſis & hominibus accommodat, nihil ut poſſit eſſe ſuavius. Hoc ipſum in tuenda Religione LUDOVICUS præſtitit : fortis fuit, fuit moderatus. Fortis, ne quid ageret ſegnius; moderatus, ne quid inclementius deſignaret : fortis, ne poteſtatem regiam atque auctoritatem, qua inprimis valet, Catholici deſiderarent; moderatus, ne ſeveritatem ipſius hæretici meritò accuſare poſſent : fortis denique, ut errorem debellaret acriter, & ab imis, ut

ita

ita dicam, radicibus evelleret; moderatus, ut eos qui deponerent errorem, perhumaniter haberet. Hanc utramque regis dotem gemina orationis parte demonſtrabo.

Ac primò quidem, quàm fortis ac ſtrenuus fuerit, facilè intelligetis, ſi quem hoſtem, quo pacto debellaverit, attendatis. Quibus maximè rebus vigebat ac florebat Calviniana hæreſis, AUDITORES? Primum arces habebat ſuas & propugnacula, templa dico; antra illa feralia, (* ut Theodoſii Magni verbis utar) quò ſe immanis bellua recipiebat: deinde in lucem publicam ad honores & magiſtratus emercerat è cœno ac tenebris, ubi edita olim fuerat: præterea facinoroſos per ſpem impunitatis alliciebat: fovebat etiam multitudinis levitatem flagitioſa libertate: demum inſidioſa liberalitate aliorum cupiditati lenocinabatur, aliorum egeſtati perfugium offerebat. His artibus graſſabatur in ædes nobilium, in curiam, in ſceleratorum animos, in egentium gratiam, in omnium perniciem. Ferebatur importuna peſtis per medias urbes, ſacerdotum exuviis, Catholicorum ſanguine, civium exitio cladibuſque civitatum paſta. Illam circumducebant erroris magiſtri, viruſque ut ſpargeret latius, adjuvabant: præibat accinctus ferro

* Cod. Theod.

& ad cædem expeditus furor : populus vecors thure ſupplex victimiſque ſequebatur : huic parentes liberis, opibus divites, imi è plebe capite ſuo & nomine litabant : tanta mole miſeri laborabant ut perirent ! Hanc ferālem hydram ejuſque ſingula, quæ dixi, capita, quemadmodum LUDOVICUS amputarit,mecum hic breviter conſiderate.

Primus labor in evertendis templis illis fuit, quorum numerus præter leges & modum omnem excreverat. Proh temporum labem & calamitatem ! eòne res Catholicorum recidiſſe, ut hoſtibus infenſiſſimis arces & propugnacula ponere cogeretur ? Quis noſtrûm non ingemiſcebat, quis oculis videre ſiccis poterat : mediis in urbibus, in agris ſuburbanis, in virorum nobilium prædiis ac fundis, in ſinu ipſo & gremio pietatis ædes profanas, quaſi totidem erecta de Catholicis trophæa, & victæ religionis triſtia monumenta ? Cernebantur oppoſita templis templa, impia ſanctiſſimis, recentibus antiquiſſima, quæ vetuſtate ſua nuperæ ſectæ novitatem condemnare videbantur. Illuxit aliquando dies quæ labem hanc elueret : jacent compluribus in locis feralia delubra : jam eorum paſſim ruinæ ac rudera oſtentantur. Quæ tanta vis, quæ repentina tempeſtas, quod fulmen hanc ſtragem edidit ? Quis iſta hereſeos luſtra & ſpelæa diſturbavit ? Diſtur-

bavit LUDOVICUS, AUDITORES, Ludovicus evertit, Deum tonantem & impias arces flammis ultricibus proruentem imitatus; imitatus Conſtantinum illum magnum, qui cum primùm Chriſto nomen dedit, nihil habuit antiquius, quam ut fana ethnicorum, vel ſuis paſſim ruinis obrueret, vel ſanctioribus dedicata cæremoniis Deo ſuperiſque melioribus conſecraret.

Utinam verò tam pronum eſſet errorem ex animis evellere, quàm templa in quibus error populo proponitur, evertere! Jacentibus everſiſque ſæpe templis, vivit etiam & viget in animis defixus error; ibi colitur, ibi nova ſibi templa ponit: inde tamen exturbandus eſt. Hæc tuæ, REX, diligentiæ præcipua pars erit: exturbabit, ne dubitate; ſpe, metu, gloria, ignominia, præmiis & pœna illum inſequetur atque exiget.

Ac primò quidem ſpes impunitatis populum ad amplectendam ac retinendam hæreſim alliciebat. Quid ita porro? accipite. Petierant olim Calviniani ſua ut ſibi judicia quædam concederentur: ſaltem ut eſſent bipertiti judices è Calvinianis Catholicisque mixti. Itáne verò tantum improbitatis, tantum audaciæ? Quid? everſis aris, oppreſſa pene religione ac pietate ut involent etiam in forum & judicia legeſque pervertant? imò verò, ut ne quid in ſuos

præter fas & æquitatem ſtatuatur per judicum impotentiam, qui ſint ab ipſorum partibus alieniores. Honeſta ratio, plena ſpecies æquitatis: conſilium erat hujuſmodi, ut per eos judices venia ſuis & impunitas quæreretur. Conſilium probabat eventus. Imponenda Calviniano cuipiam erat mulcta? quam leviſſima imponebatur. Capite luendum eſt ſcelus? quæratur effugium. At reclamant leges, & reum plecti jubent? mitior aliqua legibus interpretatio ſubjiciatur. At repugnant Catholici judices, addicunt reum neci ſuffragiis omnibus? ſuffragia ſuffragiis opponentur, Calviniani judices Catholicis; ſententiæ ex æquo dividentur. Ita reus elabebatur, vixque repertus erat quiſquam hactenus è Calvinianis capitali crimine implicatus, cui præclara iſta judicia, ſalutaria & optanda non fuiſſent.

Gemebant hunc in modum oppreſſæ leges: neque tantum paucorum judicum, ſed aliorum etiam ex eadem ſecta, qui reorum cauſam omnes ut ſuam amplectebantur, conſpiratione veritas conſtricta vindicem unum implorabat. Adfuit LUDOVICUS, & rem indignam ratus, ſi auctoritate legum perfidia erroris armaretur, hæc omnino judicia ſuſtulit, neque paſſus eſt aliquem idcirco potiori conditione eſſe, ac venia digniorem videri, quia & ſuo quodam

privato, & communi falſæ religionis crimine teneretur.

Neque minùs injecto pœnæ metu, quàm adempta ſpe impunitatis profecit ad retinendam & ſanciendam in vulgus Religionem Catholicam & fidem. Erat comprimenda populi levitas, qui temere ſolet aliam ex alia religionem arripere, neque illud fere ſequitur quod putat veriſſimum; ſed illud putare veriſſimum conſuevit, quod ſibi utiliſſimum arbitratur. Quid opus facto? quibus vinculis Proteus ille tenebitur, AUDITORES? inſtaurandas nimirum eſſe judicatis pœnas, quæ ſunt antiquis legibus conſtitutæ? Deportandos in exilium inconſtantes transfugas, qui à ſuſceptis antea Catholicorum partibus ad Calvinianos deficient? Rex illos exulare juſſit. Publicanda bona? publicavit. Addendam præterea cenſetis publicam ignominiæ mulctam certo, ut fit, ritu ac more obeundam? addidit. Irrogandas eaſdem illi pœnas qui Catholicam fidem abjiciet, aut ſuſcipiet alienam? irrogavit: nemo illum Calvinianæ ſectæ ſacrificulus & adminiſter admittat, aut Catholicam fidem abjurare ſe teſte ſinat? hoc ipſum ante quatuor menſes edixit: atque ita metu pœnæ bonos eſſe juſſit, qui amore pietatis, ut boni ac beati eſſent, adduci non poterant.

Sed ut valeat metus apud populum qui

ſpe ac timore capi ſolet ; minus tamen valet apud nobilitatem quæ honore ut plurimum & gloria ducitur. Bene eſt : hoc ipſo Rex utetur hamo, ut eam à peſtiferæ novitatis illecebris abducat. Avidior eſt gloriæ nobilitas ? omnis ad gloriam aditus ei præcludatur, ſi à parentum fide majorumque degeneret. Aſpirat nobilitas ad honores, & inſignem gradum in republica obtinere geſtit ? nemo publicum gerat munus qui publicam & patriam religionem depoſuerit. Nihil eſt Gallicæ præſertim nobilitati optatius, quam propius ad Regem accedere, unde ſuam derivari lucem, ut à ſole radios, intelligit ? fruſtra, fruſtra eſtis quicumque Chriſtianiſſimi regni fidem abjeciſtis, nullus vobis in Regis Chriſtianiſſimi vel domo vel amicitia locus eſſe poteſt : negat enimverò, negat illis domeſticis uti poſſe, qui a Dei domo, quæ Eccleſia Catholica eſt, excluſi ſint ; quod olim in re non abſimili Jovianus ſanctiſſimus ac fortiſſimus imperator inſigni facto declaraſſe dicitur : non credit illos in fide quam Regi debeant, ſatis conſtantes fore, qui obligatam ac debitam Deo fidem non præſtent. Quid deinde ? num in re maritima, num in ampliſſimis ordinibus & ſocietatibus, num in ſenatu locus aliquis eſſe poteſt alienæ fidei ac diſciplinæ alumnis ? nullus. Excluſi ſunt certis legibus, omni dignitatis

gradu, officio, & adminiſtratione omni publica prohibiti: deturbata jam hæreſis ex illo faſtigo magiſtratuum & honorum ad quos obrepſerat, ſpoliata nobilitatis inſignibus, ad natales tenebras & ignobilitatem redacta eſt. Neque viros præterea nobiles, ut aliàs, falſa ſpe honoris in fraudem inducet: ſed neque opibus & peſtifera liberalitate nonnullorum hominum egeſtatem aut potiùs avaritiam paſcet, qui paſcant ipſam deinde atque alant ſigniferi erroris ac magiſtri: aut aliorum tenuitatem ſuſtentabit, qui mali eſſe velint, ne fiant miſeri. Utriſque Rex opportuna liberalitate providit, cavitque ne hi quidem ſibi ipſis, illi ne aliis etiam egeſtatis metu nocerent.

Neque prætereundum iſtud, quod in eo genere caput eſt. Vetuit ne architecti novitatis convenirent inter ſe ſe ne cœtus privatim inſtituerent, aut ſynodos haberent ſuas, niſi annueret, certoſque præficeret, qui ejuſmodi cœtibus regio nomine intereſſent. Habet hoc omnis error, ut arcana paucorum & tacita conſpiratione coaleſcat: ſuæ ſibi fœditatis conſcius fugitat lucem, conſcius imbecillitatis adminiculum & robur à conjuratis quærit: illius incunabula ſunt tenebricoſa ejuſmodi conventicula, ibi concipitur: hæc ſeminaria, ubi adoleſcit, hæ ſunt officinæ, hæc armamentaria ubi tela in religionem jacienda fabri-

cantur: hæc adyta, ubi conjurati ſolent in divina pariter & humana jura conſpirare.

Intelligitis, ut opinor, nihil a Rege fuiſſe prætermiſſum quod ad hæreſim exterminandam ſpectare poſſet. Credetiſne ad ipſos infantes ejus curam pertinere potuiſſe? Revocate in memoriam quod edixit, ne puerperis adeſſent fœminæ non Catholicæ: ne pueros, cum primum vitales auras ducerent, peſtiferum virus impiæ ſuperſtitionis afflaret; ſed expiatis, cum eſſet opus, per baptiſmum quo interdum carebant, animis, in patriam religionem, ut in avitam poſſeſſionem, pedem ponerent.

Nunc igitur iſtud regnante LUDOVICO pronuntiari verè poteſt: Neminem jam hæreticum eſſe juvat; abiit tempus, converſa ratio eſt; nemini expedit partes iſtas amplecti: non nobilibus, nihil gloriæ quæritur; non populo, nihil fit lucri; non facinoroſis, adempta ſpes impunitatis eſt; non iis qui falſa ſpecie religionis ducuntur, ſunt everſa templa; non Catholicis, quibus graves irrogantur pœnæ: jam omnes in eandem conſpirent fidem ac religionem neceſſe eſt.

Colligite jam & expendite per otium, quæ breviter hic attuli: ſic reperietis (AUDITORES) LUDOVICUM MAGNUM paucis annis tantum perfeciſſe ad ſtatuendam religionem Catholicam, & ab hæreticorum

conatibus vindicandam, quantum illi ad eandem convellendam & inducendam deteriorem omnibus opibus & artibus annis centum perficere non potuerunt. Illi magiſtros errori diſſeminando collegerant; hic diſſipavit: illi profana templa in alieno ſolo extruxerant; hic deſtruxit in ſuo: illi propria judicia contra leges & æquitatem exercebant; hic ſuſtulit: populum illi deliniebant & abducebant a majorum inſtitutis; hic multitudinis levitatem pœna metuque compreſſit: illi virorum nobilium ſplendore, opibus, gratia, lucem afferre conabantur obſcuræ diſciplinæ ac nuper è tenebris emerſæ; hic viros nobiles in antiquiſſima proindeque nobiliſſima religione conſtantes eſſe juſſit. Quid aliud Conſtantini, Joviani, Theodoſii, ad Chriſtianæ religionis decus ac tutelam, tot legibus in hæreticos promulgatis, perfecerunt! Quæ in illis ſingula prædicamus, ea in LUDOVICO MAGNO collecta, ſimulque ab eo uno perfecta conſpicimus; & eo tempore perfecta, cum diuturno & periculoſiſſimo bello implicatus foret: cum interim ita laborare videretur de religione, quaſi aliud nihil providendum inſtaret; tum quod par omnibus eſt ingens animus; tum quod religionis curam ceteris antevertendam putat: captarum provinciarum numero aſcribit everſa hæreticorum templa: cum additis

imperio civitatibus recenſet adjunctos religioni cives, quorum nomina ſingulorum in album referri ac ſibi exhiberi jubet :dum ſtrenuos belli duces deligit, etiam hoc ſatagit, ne parochi deſertis quibuſdam in locis ac disjunctis deſint. Vos appello valles ad Pinarolium & Brigantionem poſitæ; vidiſtis non ita pridem illius opera miſſos, regiis literis in eam rem datis, quinque ſacerdotes, qui rudem plebeculam veſtris in oppidis regerent ac docerent. Vos ego iſta regia cura & pietate conſecratas, non inferiorem olim in hiſtoria locum habituras confido, quàm ingentes illos Flandriæ ac Germaniæ campos LUDOVICI MAGNI trophæis à Victoria & Fortitudine dedicatos. Viſent aliquando vos poſteri, felicemque rempublicam exclamabunt, non eam ubi reges philoſophi, quod aiebat Plato, ſed ubi reges Apoſtolorum æmuli, quod ſacra narrant Concilia, dominentur. Utque Martiano Auguſto Patres Concilii Chalcedonenſis imperatori & ſacerdoti pariter acclamarunt; ut Leo Magnus Theodoſio non regium tantùm, ſed etiam ſacerdotalem animum gratulatus eſt; ita ſacri Galliæ antiſtites, quorum eſt omnium ſingulare ad amplificandam ac vindicandam religionem ſtudium, eumdem LUDOVICI MAGNI animum eadem gratulatione ac plauſu prædicabunt: qui, dum adeunt ipſum legati

regum ac principium exterorum graviſſimis de rebus; dum ad illum ſenatores integerrimi de civium negotiis, fortiſſimi duces de belli ſumma referunt: idem tamen præſulibus de religione admonentibus recens ac velut omni cura vacuus adeſt, nec ſolidas cum illis horas, ubi res & cauſa poſtulat, impendere gravatur.

Teſtis tu mihi locuples eris, HARLÆE, præſulum Galliæ lumen ac ornamentum, ſacrorum in hac urbe cuſtos ac præſes: quem tanti á Rege maximo & rerum æſtimatore ſapientiſſimo fieri, tam libenter audiri, tibine ſit, an illi glorioſius, dubitari jure poteſt. Tecum ille certis ac ſtatis diebus agere de rebus iſtis conſuevit, ac tuam in fidem & ſapientiam ſibi jam dudum exploratam, & omnium regni antiſtitum ſuffragio comprobatam, partem iſtius laboris derivare gaudet: Qui ſi non eſſes tua ſponte ad aſſerendam ac tutandam religionem acerrimus & vigilantiſſimus, poteras exemplo Regis accendi, ejuſque ſtudio ad eam, quæ te proximè ſpectat, curam vehementiùs incitari. Nunc verò percommodè cecidit, ut antiſtitis diligentiam Regis ardor æquaret, ac viciſſim auctoritati regiæ præſulis excellenti ingenio atque eruditione præditi doctrina, dignitas, eloquentia, vim, lumen ac pondus adderet. Urit, ſat ſcio, illa concordia, & malè habet nonnullos homines,

ſacræ non minùs quàm regiæ auctoritatis hoſtes infenſiſſimos, quibus præſul non tam ſtrenuus & perſpicax minimè diſpliceret. Nos verò cum probis omnibus Deum opt. max. ſuperoſque omnes, & eos præſertim qui Galliæ præſident, obteſtabimur, hanc ut concordiam perpetuam eſſe velint; ac ſi quod inter illos certamen oriatur, hoc unum interſit, uter utro diligentiùs in cauſam religionis incumbat. Certe LUDOVICUM MAGNUM nihilo ſummis antiſtitibus inferiorem futurum, quod eam rem ſpectat, ſatis oſtendit non ſolùm ea fortitudo ac diligentia quam in propugnanda religione præſtitit; ſed etiam æquitas & clementia, quam erga ipſos religionis hoſtes adhibuit: hoc mihi ſupereſt altera parte orationis breviter explicandum.

QUI regias LUDOVICI MAGNI dotes attentiùs contemplantur, iis duæ quædam occurrunt in omnem ejus vitæ partem ita fuſæ ac latè patentes, ut ceteræ illis comprehenſæ videantur. Hinc acer & fortis animus, quem nihil eorum fugiat, quæ prudentia videre debeat; qui nihil relinquat infectum, quod ars efficere, quod exequi virtus poſſit. Inde moderata leniſque indoles, quæ rerum agendarum aditus molles captet, quæ mediis in armis, media in victoria, clementiam & pacem amet;

ac demum æquitati plus tribuat, quàm viribus ac poteſtati. Hoc utrumque docet bellum ab eo tanta confectum fortitudine, docet pax tanta cum laude conceſſa; ut difficile dictu ſit, an hoſtes ejus armis glorioſius, quàm clementia victi fuerint. Hanc utramque ingentis animi dotem, in eo quod ſuſcepit adverſus hæreſim bello, egregiè præ ſe tulit. Quàm fortis ac impiger fuerit, abundè cognoviſtis: quàm juſtus idem ac moderatus extiterit, quid neceſſe eſt operoſius ac fuſiùs demonſtrare?

Eſtne aliquid ab eo factum cum aliqua cujuſquam injuria vel contumelia? quid non moderatè, quid non clementer ac benignè? Suæ ſunt Calvinianis leges, ſunt illis privata quædam jura, quibus utuntur ac propria? utantur ſanè: ſunt quædam ipſis aliàs conceſſa? retineantur: at præter fas & æquum conceſſa ſunt? ab invitis olim extorta regibus? fruantur illis tamen, ſiquidem conceſſa ſunt; nolo me duriorem, quàm velint, & acerbiorem experiantur, eò quòd alios, forte quam par erat ſegniores ac remiſſiores habuerint. At quædam contra leges invaſerunt? repetantur ea ſanè ac reſtituantur: præter edicta regia fecerunt aliquando? abrogetur ejuſmodi ſiquid eſt, ac irritum eſſe jubeatur: tum, ne quid ipſis fiat injuriæ, cognitores apponantur, quæſtiones propriæ de re tota inſtituantur.

Ingens æquitatis tuæ, Rex, &c. par gloria, ſive jubeas ea ſervari quæ permiſſa erant, ſive repeti quæ non erant. Prodeant ipſi per me licet, ſeque, ſi poſſunt, aliqua in re violatos doceant: nam quamdiu nihil præter querelas afferent, ſervire illos dolori cuidam ſuo ac tempori, non veritati aut juſtitiæ arbitrabor. Quid autem afferre poſſunt aliud? dicent erepta ſibi amplius trecenta non totis decem annis templa? cur ea contra leges & veniam edicto ſolenni factam extruxerant? ſubata judicia bipertita illa de quibus dixi, & è Calvinianis Catholicisque judicibus mixta, conquerentur? Peto, num ea jure aliquo ſuo tenerent, an permiſſu regum & beneficio? Si jure aliquo ſuo, cur eo jure ad injuriam abuſi ſunt? ſi permiſſu & beneficio; cur id ipſis eripi ſit nefas, quod eſt per gratiam conceſſum, præſertim poſtquam commiſerunt, ut indigni beneficio viderentur? Ægrè ferunt mulctari graviùs qui Calvinianas partes amplectantur de novo, aut depoſitas repetant? num eæ pœnæ jam erant magnam partem, tum antiquis legibus, tum edictis recentioribus conſtitutæ? Accuſent Catholicæ fidei lumina, veteres illos imperatores, qui hæc edixerunt: accuſent reges è noſtris ſapientiſſimos, qui eadem inſtaurarunt: accuſent potiùs hominum levitatem & inconſtantiam, eamque his repagulis coërceri meri-

tò fateantur. Quid præterea ? publicam libertatem violari clamitabunt ? Ain tu verò ? hæc tuo judicio libertas eſt, ut fas unicuique ſit pro arbitrio inſanire ? ut religionem temere commutare tanquam veſtem aut larvam liceat, hæc libertas eſt ? ut otium ac tranquillitatem publicam perturbare, omnia bellis ac ſeditionibus deformare per cauſam Eccleſiæ reformandæ liceat, hæc libertas eſt ? Profectò ita qui loquuntur, non libertatem religioni quærunt, at ſceleri: neque id agunt, ut nihil; ſed ut faciliùs tutiùſque peccetur.

Videtis regis æquitatem in ea cauſa, ubi ſi quid ab eo ſtatueretur acerbius, haud iniquum tamen putaretur ? humanitatem admiramini.

An quiſquam ignorare poteſt quemadmodum eos acceperit qui ſe ſponte receperunt ad patria ſacra, cùm fuiſſent ad ſectandam hæreſim aut natalium conditione aut fato neſcio quo reip. miſero funeſtoque compulſi ? annon habiti ſunt à Rege peramanter, annon aucti opibus, gloria, dignitate ? Quid, eos qui obſtinatiùs in ſententia permanſerunt, quibus tandem armis expugnavit ? rotis, crucibus, equuleis ? uno verò beneficiis, muneribus, liberalitate, humanitate. Ubi Rex, ubi victor, ubi Magnus ille ? ubi plena imperii nomina, plena poteſtatis ? Videtur hæc omnia obli-

tus fuiſſe, ut parentem optimum ſe eſſe meminiſſet. Non imperantem ſubditis Regem; ſed patrem liberis conſulentem diceres. Obruere poterat auctoritatis pondere ac majeſtatis; erigere clementia maluit: poterat cogere; invitavit: frangere licebat, libuit leniter inclinare. Hæc, hæc demum eſt immortalis Dei ratio, quam ſolet in gubernandis mortalibus adhibere, quos non armata ſemper & fulminante manu inſequitur, ſed benignitate ſumma revocat ad ſe ſe, &, ut ſacer codex loquitur, *quadam cum reverentia diſponit*: volentes allicit, non cogit invitos; ita voluntatibus noſtris imperat, ut earumdem proclivitati ac propenſioni ſerviat, non tam pœnis malorum, quàm bonorum præmiis, ne mali ſimus admonet; neque ſpectat magis quid poſtulet ſua ipſius dignitas & gloria, quàm quid hominum ſalus & cauſa velit.

Atque hanc LUDOVICI clementiam non extorſit metus, non ſpes oblata provocavit, non expreſſit adverſariorum potentia, non reip. calamitas aliqua perſuaſit. Lenis adverſus illos & clemens Henricus Magnus fuit: ſed homines antea ſibi non infenſos, nondum confirmata auctoritate ſua penitus à ſe abalienatos nolebat. Lenis fuerat erga eoſdem Henricus III. cum imminentem ipſorum cervicibus victorem fratris exercitum depulit, atque inhibuit pace ad Rupellam

alieno tempore compoſita : ſed ipſe tum in Poloniam evocatus bellum difficillimum ſopire maluit, quod confici omnino, atque extingui poſſe deſperabat. Excîdit poſtea Rupellam LUDOVICUS Juſtus, domitoque non viſis antehac artibus mari, elementa Gallis omnia parêre ac militare docuit; docuit, pacem denique perduellibus victis & veniam impertiit: quin tamen iis nonnulla, quæ parum eſſent è regia dignitate, concederet non fuit recuſandum. Jam vero quid eſt ejuſmodi? quæ vis adhiberi tanta, quænam intercedere cauſa poteſt, quominus id fiat quod ex uſu & è rep. eſſe videbitur? nihil eſt: victi hoſtes fo: is, omnia domi tranquilla & compoſita ſunt; regia auctoritas tanta, quantam in alio ullo fuiſſe non legimus antea, vel audivimus: ille tamen, cujus ad nutum Europa omnis vertitur, cujus ad nomen orbis ultimus expaveſcit, non alia re magis vincere, quàm clementia & humanitate gaudet. Quis hanc ſingularem & prope divinam eſſe laudem non intelligit?

Utinam verò in iis ipſis hæreticis tanta olim extitiſſet lenitas & modeſtia, cum per temporum iniquitatem aliquid poterant; quantam in eo, qui poteſt nunc omnia, benignitatem adverſus ipſos & clementiam admiramur! Non deſolatas ferro flammaque provincias, non ſacerdotes ante ſuas aras immaniſſimè contrucidatos, non exultantem

Gallia tota funeſto latrocinio impietatem atque audaciam annales noſtri etiamnum ingemiſcerent. Non horribilem nuper in cives tuos carnificinam exercuiſſes, Anglia; quæ tibi apud probos omnes odium, commiſerationem apud amicos, contemptum apud hoſtes & invidiam peperit. Vidit Chriſtianus orbis triſte ſpectaculum, & cohorruit. Pacatiſſimi homines atque optimi, nonnulli è prima nobilitate, falſo indicio damnati, fortunis, fama, dignitate ſpoliati, omni crudelitate lacerati ſunt.

Nam ego de viris religioſis nihil queror; quos eadem procella crudelitatis abſtulit: non illos affectos pœna, ſed gloria ornatos; neque mulctatos morte, ſed immortalitate donatos fuiſſe judico: jamdudum illi ſe ſe caputque ſuum pro ſalute patriæ devoverant, & hunc laborum ſuorum fructum putabant ampliſſimum, ſi vitam & ſanguinem ingratis civibus, at civibus tamen, at Chriſtianis impenderent. Et erit illud fortaſſe tempus, cum ex eorum ſanguine, ut è ſemine, optatæ pacis fructus ac tranquillitatis efflореſcet. Ceteri verò, quorum erat inſtitutum vitæ diſpar, cauſa eadem & erat, quid commiſerant quamobrem conjicerentur in vincula, raptarentur ad ludibrium, agerentur in crucem, diſcerperentur, mactarentur? quodnam ſcelus tantum conceperant? quid in remp. moliti erant? num quæ conſpira-

tio, num quæ fraus, num quod facinus tetrum atque immane deprehenſum erat? Unum, unum in iis Catholicum nomen vexabatur, una per eorum latus religio petebatur; hæc odiorum cauſa, hæc furoris, & ſuppliciorum: cetera enim quæ objiciebantur, conficta per nequiſſimos quoſdam delatores fuiſſe conſtabat. O nomen dulce religionis! ô plena vox humanitatis & ſalutis! ô Chriſtianæ leges! ô leges humanæ, quæ veſtram in homines vel ſceleratiſſimos acerbitatem, lenitate ſumma temperatis, quo, quo tandem recidiſtis! Cives egregia pietate in Deum, ſpectata in Regem ac remp. fide, à civibus barbarum in morem cæſi: erepta Regi per ſubditos poteſtas ſervandi quos vellet; triſte documentum, quam non hæreſi cum regia auctoritate conveniat! traductus ad furorem ab humanitate ſolita populus, minimè ille natus ad crudelitatem; quid enim Anglica gente tota magis excultum nunc, & ad omnem vitæ politioris honeſtatem accommodatum eſt? En quò nova iſta religio, reformandis videlicet inventa moribus, perduxit homines natura ſua æquitatis & humanitatis amantiſſimos, en quo illos adegit!

Verſabantur hæc ob oculos omnia LUDOVICO MAGNO; videbat quid in Catholicos vicini quotidie ſtruerent; quid in eoſdem ſui moliti quondam eſſent, non ignorabat;

tem ac tenebras objiciebant, convicia ſæpè regerebant è trivio ſumpta, in quo ſuperiores vobis erant; & in vulgus, ut fit, acceptiores. Nunc ſine clamoribus, ſine tumultu citra contentionem omnem & æſtum animorum compoſita pax, ſublatæ rixæ, irretita loquacitas, fracta pervicacia, audacia domita eſt. Tantum Regis unius æquitas & clementia valuit! Unus hic LUDOVICI MAGNI ſtylus concionatorum voces, eruditorum libros, tormenta regum & exercitus, theologorum argumenta ſuperavit.

Reviviſcite majores noſtri, & ſuaviſſimum iſtius nobiſcum lætitiæ fructum percipite. Quanta voluptate perfunderentur, AUDITORES, quàm hæc in melius derepente mutata lætarentur, quæ ipſi deſperata propemodum, ac depoſita reliquiſſent? cum Religionem primævam illam ac pietatem non tantum hic in dies emergentem atque efflorefcentem magis; verùm etiam in pleriſque Belgii urbibus, Regis beneficio reſtitutam ac revocatam aſpicerent! cum auguſtiſſimum ſacrificium Genevæ, in arce illa perfidiæ ante annos centum antiquatum ac ſublatum, eadem Regis opera & ſtudio non ita pridem in luce atque oculis civitatis peractum audirent! cum animorum æſtus & infinitas lites pacifico juſtitio compoſitas, omnia tranquillitatem, concordiam, felicitatem ſpirantia contemplarentur,

Te verò, Ludovice Magne, quem rerum iſtarum auctorem ſecundùm Deum ac principem agnoſcimus, quibus complectemur ſtudiis, qua pietate proſequemur? Jam intelligunt omnes id quod initio mihi præſtitutum erat, ut oſtenderem, te hac una vindicatæ Religionis gloria majorem quàm ceteris rebus antea præclarè geſtis extitiſſe; adeoque omnes tuas laudes hac una contineri. Eſt pietatis tuæ quod hæreſim arcem impietatis everteris. Eſt ſapientiæ, quòd hunc nodum Gordium explicare conſilio, quam ferro ſcindere malueris. Eſt fortitudinis, quòd ea non timueris, quæ anteceſſores tui non immeritò timenda eſſe ſenſerant. Eſt felicitatis, quòd eadem tam facilè ſuperaveris. Eſt juſtitiæ, quòd ſuum jus religioni ſartum tectumque ſervaveris. Jam quidem eas dotes in te videbamus, at non tam illuſtri loco poſitas; nunc ipſas religionis nomen & cauſa veluti conſecravit.

Quid ad gloriæ tuæ immortalitatem à te fieri potuit inſignius! quid verò ad ſalutem imperii Chriſtianiſſimi præſtabilius? Tu Galliam Galliæ reddidiſti, quam inſanus amor novitatis à ſe ipſa diſtraxerat. Non eam tantum, tot rebus bello partis, tot emendatis pace, auream è lateritia propemodum feciſti, id quod Auguſtus de Roma veteri gloriabatur; ſed è Chriſtianiſſima,

nti ſemper fuit, ne parens erroris & nutricula fieret, prohibuiſti. Quòd in avita fide ſtamus; quòd hæreſeos incendium Gallia pridem tota ſparſum tandem reſtinctum eſt; quod illa peſtis compreſſa, ne triſti contagio latius graſſaretur: totum hoc tui muneris eſt. Quòd ſi levioribus quibuſdam beneficiis hoc aſſecuti ſunt mortales aliqui, ut parentes patriæ vocarentur & prope ſuperis æquarentur: quem te appellabimus, à quo rem omnium maximam, conſervatam religionem, accepimus? Et ceteros quidem triumphos tuos tempus imminuet, obſcurabit vetuſtas, deteret oblivio: iſte tandiu vigebit, quandiu florebit Eccleſia, quam nulla fuga temporum, nulla vis erroris unquam aut impietatis exſcindet. Alios fœdabunt hominum clades ac lacrymæ; iſtum publica ſalus & incolumitas conſequetur; alios divides cum ducibus, cum militibus, cum fortuna; hunc ſuperis, hunc tibi debes uni. Vicinas nationes populoſque circumſpice; multi religionem vecordia perdiderunt, plurimi ſcelere prodiderunt, nonnulli, cum retinere vellent, nequiverunt: tantò tu major, tantò melior, quantò iſti vel nequiores, vel miſeriores.

Perge porro & inſtitutum iter tene: hinc fecundiſſima illa regni tui fata; hinc perpetuus victoriarum curſus; hinc illa denique LUDOVICÆI ſæculi felicitas. Valeant enim

qui hanc tuis copiis, opibus, fortunæ acceptam referunt; hanc ego tuæ pietati, hanc religioni fidenter aſcribo: hac niti ſpes in poſterum tuas, & quam de te concitaſti expectationem, volo. Hac olim via Conſtantinus Magnus ad orbis imperium evaſit: eadem avi tui Pipini, Caroli & Henrici Magni tam longè ceteris orbe toto Regibus præſtiterunt. Tuum regnum Deus amplificabit, cujus dignitatem & regnum amplificas; utque diutiùs ac latiùs regnet, regnare te quam latiſſimè ac diutiſſimè jubebit. Stabit æternum ac florebit in dies magis Gallia, quia tuis hærens veſtigiis, veterem religionem, quam tenuit hactenus, integram & illibatam ad extremum uſque tempus conſervabit.

DIXI.

SERENISIMI

SERENISSIMI PRINCIPIS
DUCIS BURGUNDIÆ
GENETHLIACUM.

ORATIO EXTEMPORALIS.

HABITA PARISIIS ANNO MDC. LXXXII.
MENSE SEXTILI.

Cum optatiſſimus Burgundiæ Ducis ortus Urbem ac regnum recenti lætitia impleviſſet, è re literaria viſum eſt, ut Muſæ noſtræ ſingulari aliquo monumento venirent in partem publici gaudii. Quamobrem hæc Oratio, præter ordinem, ſub ipſum infantis Sereniſſimi ortum, habita eſt in Regio Ludovici Magni Collegio.

QUOD unum ad cumulatam imperii Gallici felicitatem, ad LUDOVICI MAGNI gloriam, ad Sereniſſimi Delphini, ejuſque Auguſtæ conjugis lætitiam, ad explenda populorum vota, deſiderari poſſe videbatur, hoc ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio conſecuti ſumus, ILLUSTRIS

SIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, CETERIQUE AUDITORES ORNATISSIMI. Natus eſt LUDOVICO Nepos, Delphino filius, regno columen, Sereniſſimus Princeps Burgundiæ Dux, triumphate Galli, vicini & fœderati populi, cives, exterique plaudite; nemo ſit ad quem non pertineat hujus diei lætitia, qui ad omnium felicitatem unus poteſt hoc imperium conditum vel optatiſſimus illuxit. Quòd ſi qui ſunt præ ceteris tamen quibus in communi gaudio præcipua quædam lætandi cauſa ſit, huic profectò Academiæ debet eſſe vel maxima, quæ LUDOVICO MAGNO ac toti Regiæ Familiæ tantum ſe debere profitetur, quantum nemo cogitando aſſequi, nedum explicare dicendo poteſt. Cum verò ſibi nihil ſuppetere ſatis intelligat, quod iſtis immortalibus beneficiis poſſit reponere, facit, quod ſupereſt, ut ſaltem omni memoris animi ſignificatione quas referre licet grates, libentiſſimè perſolvat. Hoc fuſis ad Deum votis & precibus, hoc quantulocumque iſto litterario apparatu, hoc eruditis lucubrationibus agimus, hoc hodierna potiſſimum oratione profitemur.

Ac primum LUDOVICO MAGNO, quem iſtius felicitatis & gaudii fontem appellare poſſumus, deinde Sereniſſimo Delphino, ejuſque fortunatiſſimæ Conjugi, poſtremò toti regno gratulamur; gratulamur LUDO-

vico Nepotem, hoc primum; Delphino filium, hoc alterum; regno decus, præſidium, & columen, hoc tertium caput orationis erit.

Quæ tria ſic brevi compleĉtar, ut nihil operoſiùs exquiſitum, nihil accerſitum longiùs afferam, cùm iſta fingendi componendique tempus non habuerim; ſed quod ipſa res feret, quod animus loquetur, quæ ſenſiſtis ipſi, quæ cogitatis, exponam.

ADDES mihi vocem & animos ad dicendum, Pariſienſis Eccleſiæ moderator illuſtriſſime, Gallicani cleri decus & ornamentum, iſtius pompæ & coronæ maxima lux. Quem enim teſtem animi erga LUDOVICUM MAGNUM regiamque familiam noſtri & obſequii te potiorem habere cupiamus? Non vereor ne graviter feras, ſi Regiæ Familiæ ac regalis pueri laudibus, quibus nihil tibi poteſt eſſe jucundius, occupati, tuas hodie laudes paululum omittamus: ſingularem illam humanitatem tuam, quæ tibi omniũ animos conciliat; illam ingenii vim & perſpicaciam, quæ admirationem vel ſapientiſſimis & eruditiſſimis movet; lacteam hanc eloquentiam, qua principatum quendam animorum tenes; amplificandæ religionis ac tuendæ ſtudium acerrimum, quod bonorum omnium amorem tibi & ſtudia promeretur; benignitatem denique incredibilem, qua nos ubique foves, ornas, ac tueris: ea

nunc ſilemus omnia, quod intelligamus eum oratorem tibi præ ceteris placere vel maximè, qui LUDOV. CUM MAGNUM laudet, etiam oblitus tui: ſi laudare tamen illum quiſquam poteſt, qui tui obliviſcatur, qui te non eadem opera quoque laudet. Norunt omnes quas ille tuas partes eſſe velit, in iis quæ tum ad imperii, tum ad religionis præſidium ac decus tam præclarè molitur. Quàm tibi glorioſum eſt, ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME, quod tam prudens rerum æſtimator tanti te faciat? tam libenter audiat, graviſſimis conſiliis adhibere, præficere difficillimis negotiis, rerum maximarum & arcanorum conſcium adſciſcere glorietur. Ea laus una cæteras, quæ verè prædicari de te poſſunt, vincit; neque ullam tibi pro ſummis tuis in Societatem noſtram beneficiis; quorum nulla nos unquam capiet oblivio, gratiam referri poſſe credimus ampliorem, quàm ſi LUDOVICUM MAGNUM celebremus, ſiquidem quantò ille copioſiùs ornatiùſque laudabitur, tantò plus in te, qui apud ipſum iſto loco & numero ſis, gloriæ redundabit. Illi vero numquam juſtiùs profectò quam hodie gratulati ſumus. Sic enim ſtatuo illum hodie conſecutum eſſe quod unum ipſi optandum reſtabat; quodque ad perfectam & abſolutam felicitatem unum deſiderari videbatur.

Age enim quid illi hactenus, quod optas

ret, reliquum vel fortuna vel virtus fecerat? Magni illius nominis, quod ipſi populorum omnium conſenſu ac ſuffragio delatum eſt, numeros omnes implevit: belli civilis incendium reſtinxit pene puer; adminiſtrationem totius regni temporibus impeditiſſimis per ſe ipſe ſuſcepit adoleſcens; bella ſubinde maxima & graviſſima non ſolùm ſine ulla offenſione confecit, ſed etiam cum ingenti gloriæ fructu; fines imperii Gallici longè ultra Rhenum, famam ad ultimum uſque orbem protulit: hoſtes innumerabiles maximis exercitibus, acerrimis ducibus, irruentes in Galliam, & in ejus exitium conjuratos, modò ſeparatim ac diviſos, modò collectos & nunquam diſſociandos, ut jactabant, terno fœdere ſociatos diſſipavit, fugavit, delevit.

Vidimus (quod vix credetis poſteri) expugnatas ab eo uno urbes propemodum infinitas, occupatas menſe hyberno non toto provincias integras, arces munitiſſimas paucis diebus obſeſſas, captas & dirutas: disjunctiſſimas orbis terrarum partes victoriis ejus luſtratas; belli & pacis leges amicis & inimicis pro arbitrio dictas: ea demum fecit, quæ nemo ante illum; ea facere poteſt, quæ præter ipſum alius vix cogitaturus optaturuſque ſit.

Jam verò illud in confeſſo eſt apud omnes, neminem qui perinde regnare ſciret, olim

inventum eſſe: ad quam ille regnandi ſcientiam non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis, non conſiliis adminiſtrorum, ſed ſua ſapientia fuit eruditus. Conjicite oculos in artem illam regum, regnandi artem dico, partes illius omnes, & numeros excutite, quis felicior in inveniendis adminiſtris maximorum togæ & militiæ negotiorum, ſolertibus, ſtrenuis, vigilantibus, unquam fuit? quis in repetenda rerum geſtarum ab iis ratione diligentior? quis ſplendidior in aula, in publicis operibus, in magnificis ædium ſubſtructionibus, denique in omni, qui ad regiam majeſtatem explicandam valeat, apparatu? quis eodem vero modeſtior? quis commodior? quàm illius mentis aciem non perſtringit ſplendor magni nominis, nec animi quaſi luminibus officit altitudo fortunæ & gloriæ? quis emendandis legibus, comprimendo ſingularium certaminum furore, veneficiis exterminandis, profligandà hæreſi, hominibus ab errore ad fidem veritatemque traducendis religioſior & gravior? quis ad ignoſcendum promptior & facilior?

Illa verò admirabilia & portenti ſimillima videntur, amari unum ab omnibus, à nemine non timeri: nihil niſi quod magnum ſit aggredi, nihil quod aggrediatur non efficere: nihil quod effecerit, non tueri cum velit. Cum hoſtibus fortiter, cum legatis regum magnificè, cum ſuis humaniter, cum

omnibus regio modo ac more ſemper agere. Talem LUDOVICUM MAGNUM ſuſpicimus, talem divino quodam conſilio natum ad Galliæ felicitatem admiramur.

Quid ergo? etiamne in tanto ſplendore, tanta copia, tanto apparatu fortunæ, virtutis, & gloriæ, deſiderari quidpiam ac deeſſe LUDOVICO potuit? Potuit, AUDITORES. Quid illud autem? Deerat, hæres plurimus, qui hæreditatem tantam adiret, qui faceret illam, ſi fieri poſſet, etiam auctiorem. Deerat, hic ejus felicitati cumulus, hæc voti abſolutio, ea perfectio ſummorum operum, quæ dies noctesque meditatur. Habebat quidem jam antea Sereniſſimum Delphinum in quo ſpes ſuas rectiſſimè collocatas intelligeret, Delphinum, inquam, dignum Patre, dignum Majoribus, in quo, ut in imagine ſimillima, parens invictiſſimus viveret, ad memoriam ſui nominis & gloriæ ſempiternam: in hanc ſpem egregiam ſuſceptus, in hanc educatus diligenter à puero, paternis præceptis imbutus, exemplis eruditus, adoleverat. Ingenium acre, optima indoles, moderata leniſque natura; ingens animus & quamvis in gremio pacis nutritus, tamen ad bellicas artes ſua ſponte propenſus & factus, parentis animum deliniebant ea ſpe ſuaviſſima, futurum, ut ſe olim in nato ſuperſtitem haberemus. At Delphinus tamen, quantus erat, unicus erat LUDOVICI MAGNI filius, hoc

uno ſpes noſtræ, Ludovici Magni gaudiũ, regni fatum vertebatur.

Quòd ſi privatæ familiæ nihil pertimeſcendum non eſt, cum uno tantum hærede nititur, quantò magis regno integro florentiſſimoque imperio metuendum? Teſtis tu mihi Gallia cum illa ſpes regni altera, ſed unica, Delphinus, populorum amor & cura, in graviſſimum aliquot antè annis morbum incidiſſet: quæ tum, ſuperi, perturbatio, quæ ſollicitudo regni, qui dolor omnium animos pervaſerat? laborare cum illo & jacere omnia videbantur: ipſe Ludovicus mediis in triumphis expavit, ingemuit. Quid ageret? junxit hymæneo felici natum, eam ipſi delegit conjugem Europa tota quæſitam, qua nulla dignior tanto viro conjux reperiri poterat; in quam unam omnes regiæ dotes certatim confluxiſſe videbantur: quæ non tantùm Sereniſſimo Delphino Bavarum pro dote nomen & nobiliſſimos avorum triumphos; non tantùm pulcherrimam indolem iiſdem atque vir liberalibus artibus eruditam, non modò ingenium, humanitatem, prudentiam, modeſtiam, ceteraſque virtutes afferret: ſed ſpem præterea prolis; quæ ſoboles regni felicitatem, ac ipſius Ludovici penitus confirmaret: hanc ab illâ prolem & ſpem Imperii Chriſtianiſſimi expectabat Rex, dedit hanc aliquando; vota Galliæ, vota Ludovici cumulavit.

Nunc

Nunc demum fortunatus LUDOVICE MAGNE, nunc votorum compos videri potes, felix foris, felix domi, felix rebus præclarè geſtis, felix filio, felix nepote, felix denique domo atque regno ad immortalitatem tui nominis & gloriæ ſtabilito. Laudo vos equidem, cives, cum poſitas à vobis paſſim in urbe ſtatuas LUDOVICI MAGNI, & vicis pæne omnibus atque compitis additas ad ornatum aſpicio: ſed mihi credite, caduca ſunt illa monumenta, emortuæ imagines, muta & infantia regiæ virtutis ac formæ ſimulachra, quæ neque illum, qualis eſt totus, indicant, neque divinas illius virtutes intuentibus exhibent: vivas ille ſpirantesque ſuæ virtutis imagines deſiderat, nec tantum corporis ſimulacra, ſed mentis; nec ductus oris expreſſos ære ac marmore; ſed animi dotes in poſteris inditas ac ipſius naturæ manu velut inſculptas, hoc LUDOVICO tandem ſuperi conceſſerunt: attigit votorum ſummam, ſic, ut illi nihil jam optandum, nihil ad gloriæ tot rebus fortiter ac præclarè geſtis partæ, immortalitatem deeſſe videatur.

Jam pridem LUDOVICUS Auguſti tempora jactatamque illius aurei ſæculi felicitatem revocaverat, reſtitutis in priſtinum ſplendorem artibus liberalibus, ac diſciplinis: accitis undique in Galliam, ut Muſarum domicilium, viris ingenio & eruditio-

ne præſtantibus, regiis ædificiorum, quæ paſſim viſuntur, ſubſtructionibus, abundantia commercii beneficio inducta: nunc verò ipſius Auguſti felicitatem longo intervallo ſuperavit.

Cæſar ille, quo nihil majus meliuſve Imperio Romano fata bonique divi donaverant, poſt hoſtes potentiſſimos maximis præliis glorioſiſſimè ſuperatos, poſt conciliatam orbi terrarum toti felicitatem & pacem, poſt exactos in imperio bene ac ſapienter adminiſtrando annos complures, totus interiit, totus denique extinctus eſt. Nemo unus in quo tantæ virtutis ac felicitatis imago & & memoria ſupereſſet, hæres ac filius ab eo relictus eſt. Hoc unum illi defuit: nempe filius, aut nepos, in quibus reviviſcere poſt obitum poſſet. Felix, magnus, potens foris; domi infelix & ſolus fuit. Inveniſti, Rex maxime, quod Auguſto defuit, vives in nepotibus; tuas laudes, nomen & gloriam in illis ſera poſteritas venerabitur. Gaude iſto tuo bono, Rex fortunatiſſime, & quàm faventibus utare ſuperis, id quod antea ſæpè cognoviſti, nunc multò apertiùs atque illuſtriùs intellige.

Nunc Sereniſſimum Delphinum altera pars orationis noſtræ gratulationiſque ſpectat. Rectè iſtud quidem ac meritò: quis enim æquiùs gaudeat, quàm is per quem effectum eſt, ut gaudeant univerſi. Litteris

proditum accipimus unum aliquem è Romanis, opinor, imperatoribus, cùm in lucem editus eſſet, tanto populi gaudio exceptum fuiſſe, ut nata cum eo lætitia publica diceretur. Quid! hoc ipſum nonne poſſumus in auſpicatiſſimis filii tui natalibus jure merito prædicare, natam eſſe cum eo publicam lætitiam? Hæc regno per te data, & primùm quidem illi oblata, cui cupis eſſe quàm gratiſſimus, Auguſtiſſimum tuum Parentem dico quem aiunt ita fuiſſe gaudio delibutum ut, homo ceteroquin unus omnium vel maximè ſui compos, lætitiam tenere non potuerit. Vix ille nuncium optatiſſimum accepit, de quo ut certior primus omnium fieret, ſedulò curaverat, exultare continuò ſcilicet, gratias immortales agere ſuperis, admittere obvios quoſlibet, affari, ſalutare, vocare in lætitiæ ſuæ partem, pæne ipſe oblitus Majeſtatis & illius, quam ſecum ubique circumfert, regiæ gravitatis. Modò amplexari filium ſuaviſſimè, modò nurui tam optato partu perfunctæ gratulari.

Quid agis Rex? tunc ille, quem tot victoriæ, tot egregia & hactenus inaudita facinora efferre lætitia non potuerunt? Quem fractus Hiſpanus, perdomitus Belga, Germanus finibus regni prohibitus, fuſus toties & fugatus, eodem ſemper vultu, gravem ſemper ac ſeverum & in tot exultandi cauſis immobilem aſpexit? an hunc

demum diem tot victoriis tuis anteponis ? an hoc uno puero felix tibi tandem & magnus videris eſſe ? Sic eſt, AUDITORES, divina & præſaga LUDOVICI mens videt aliquid in hoc puero, & longiſſimè proſpicit quod inſignis hæc illius lætitia commonſtrat, præſertim cùm ſit ab eo ſuſcepta qui nihil temere, nihil extra numerum & modum facit. Ego quidem certè ſic exiſtimo vel hoc unum futuræ pueri gloriæ & rerum ab eo gerendarum omen & augurium eſſe vel certiſſimum.

Quod ſi tanta per te, Delphine Sereniſſime, parenti optimo lætitia, ceteriſque Gallis nata eſt, quanta fuit in ipſo te ? non ob eas tantùm cauſas dico, propter quas homines etiam non ignobiles vulgò ſibi, cum aucti ſunt filiis, lætandum arbitrantur; non tantùm quod habeas recentis hymenæi munus, certam ſpem ſobolis in poſterum propagandæ, & dulcia genialis tori dona; non ſolùm quod proles maſcula nata ſit, quod nata tunc temporis, cum aliqui jam diffidere & ſpem abjicere cœperant, quod non expectata plures annos, non exorata votis precantium, non lacrymis velut expreſſa.

Novimus quàm anxiè proles tardior expectari ſoleat, idque in ipſo LUDOVICO MAGNO experti ſumus. Quibus tum precibus, quo metu, quâ ſollicitudine ſua illum Gallia flagitavit ? eò vehementius etiam

flagitatura, ſi qualis & quantus futurus eſſet aliquando, cognoſcere tum potuiſſet! Addo quod ita ſit natus ut intelligi poſſit eum & vitalem & valentem aliquando, cum ætas acceſſerit, futurum. Omitto quod eleganti forma & liberali vultu ſit. Amant ingentes & principes animæ in idoneo corpore ut in regia domo habitare. Non ob eas, inquam, tantùm cauſas tibi gratulor, Ludovice Delphine, valeant illæ ſanè in ceteris, alia ſunt majora quæ gaudeas. Quænam autem? quod intellexeris hodie potiſſimum, quàm regi carus, quàm acceptus populo ſis. Quid in omni vita poterat accidere tibi jucundiùs quàm parentem amantiſſimum cernere in tuos amplexus cupidè involantem; & quam tibi vitam dederat gloriamque à te ſibi viciſſim quodammodo redditam in filio tuo profitentem? Carus illi, ſcis ipſe, ac perjucundus ſemper fuiſti, ſed hodie caritatem hanc in te ſuam apertiùs præ ſe tulit, paternam illam indulgentiam, quam cohibere quodammodo Majeſtas Regis aliàs, & moderari ſolebat, exprompſit omnem, ac velut effudit.

Quid deinde? quo animi tui ſenſu tam incredibilem Gallorum paſſim, in hac urbe tibi cariſſima præcipuè, lætitiam accepiſti? ecquid enim aliàs unquam ſimile Gallia tota viſum eſt? ecquando major alacritas, quando pervagatior? quis ærumnóſus aut

calamitatem ſuam, aut ejus certè ſenſum non depoſuit? quis æger lectulo non exiluit? quis ſenex ſenectutem ſuam non accuſavit, quod per illam tanta felicitate frui ſibi diutiùs non liceret? quàm dulcia, Princeps ſereniſſime, gaudia te permulcebant, cùm omnes datum per te imperio Gallico tam inſigne pignus prædicarent, cùm nomen tuum Auguſtum ac ſereniſſimi tui filii inſcriberent foribus, Lauro ſertiſque coronarent, tædis appoſitis ac funalibus illuſtrarent? cum tuis laudibus ædes privatæ non ſecus ac publicæ, tripudiantium chori, epulantium convivia, oratorum ſuggeſta perſonarent, cùm accenſis facibus lucerent plateæ, vino fontes fluerent, ignibus vici arderent: cum feſto æris campani, tubarum, tympanorum, tormentorumque murmure urbs tota circumtonaret, cùm in ore omnium & animis unus eſſet: nonne hunc publici erga te ſtudii & animi fructum longè ſuaviſſimum tuliſti? nonne hinc facilè intellectum eſt quàm tibi addicti cives tui, quàm regiæ toti familiæ voluntat omnium & fortunæ mancipatæ & conſecratæ ſint?

Sentiunt omnes nimirum decerptos ex arbore tam generoſa ſurculos non fore degeneres: fructus ad publicam felicitatem hinc decerptum iri & jucundiſſimos & maximè diuturnos; confidunt aquas ex tan-

to fonte derivatas ad parem cum ſuo fonte altitudinem perventuras : vident futurum ut quam hauris à LUDOVICO MAGNO, à ſole Galliæ, lucem alter ipſe ſol transfundas in filium, ut in ambobus agnoſci facilè LUDOVICUS poſſit. Quid? cum Sereniſſimæ Conjugis tuæ vox, diſciplina, exempla etiam, acceſſerint; cùm ingenium pueri mulier ingenio præſtantiſſima finxerit, cum mores teneros intergerrima formaverit, cum domeſticis illum præceptionibus imbuerit, quantus tandem ad ſumma quæque his præſidiis munitus, his opibus inſtructus & adjumentis, enitetur! Ea ſunt, Mater Sereniſſimi pueri fortunatiſſima, neque enim præterire te gratulatio noſtra debet, nec Sereniſſimo Delphino probari oratio poteſt, quæ non ſit cum tua laude juncta, ea ſunt inquam, quæ, niſi fallor, te incredibili lætitia perfundunt: gratulentur alii tibi alia, per me licet, ego id præcipuè quod hujus mater ſis, in quo Gallia ſpes ſuas omnes ſecundum Delphinum defigit, quod illum habitura ſis talem qualem optas, qualem augurata es. Neque enim excidit nobis aut unquam excidet præclara illa tua vox, cum in ipſo licet quaſi æſtu recentis lætitiæ, tui oblita, & unius LUDOVICI, unius publicæ felicitatis memor, gratulanti regi diceres, puerum hunc minimè tibi placiturum, niſi talis eſſet futu-

rus, qualem ipſe LUDOVICUS optaret. Talis erit, ne dubita, tibi, patri, avo denique ſimillimus quondam erit.

Cum olim Latinorum vatum princeps Marcellum Octaviæ ſororis Auguſti filium, quem Auguſtus ſucceſſorem imperii deſtinaverat, laudaſſet ornatiſſimis verſibus, quibus egregiam ſpem de adoleſcente conceptam, pietatem illius, fortitudinem, fidem, mirificè prædicabat, aiunt illius matrem Octaviam, ad laudes & memoriam pueri exanimatam ſubitò concidiſſe tum præſertim, cùm Romanus vates in ea verba erupiſſet, *Tu Marcellus eris.* Marcelli videlicet, clariſſimi quondam ac fortiſſimi ducis, memoriam refricabat, cujus virtutes adoleſcens ut nomen redditurus aliquando ſperabatur. Ego te, regie puer, Burgundiæ Dux ſuaviſſime, non abſimili carmine compellare poſſum, immutatis pauliſper vocibus, ad quas non exanimata luctu mater concidat, ſed gaudio potius exultet. TU LODOICUS ERIS, TU LODOVICUM avum, LUDOVICUM parentem, nomine, animo, factis, referes; tu patris deliciæ, matris corculum, hoſtium terror, amor Gallorum, uno verbo complectar omnia, TU LODOICUS ERIS. Talis, inquient poſteri, talis LUDOVICUS ille MAGNUS erat: ſic ille ſe ingenti ore MAGNUM atque excelſum ferebat. Talis

cùm reſponſa ſuper maximis rebus vel oraculi potiùs, daret; talis cùm ſævo terribilis Marte in arma rueret, talis cùm domi ſedens orbem juxtà atque regnum componeret, cùm æmulos reges contunderet, cùm omnia in unius poteſtate arbitrioque verterentur. TU LODOICUS ERIS. Hæc illa ſpes eſt, AUDITORES, quæ nobis ac toti demum regno tanta gaudia meritò facit. Hoc breviter ultima parte orationis eſt demonſtrandum.

Si enim tanta eſt gaudendi cauſa LUDOVICO MAGNO & Auguſtis Sereniſſimi Pueri Parentibus, quod hactenus oſtendi, non poteſt eſſe toti regno cauſa lætandi non maxima, cùm regiæ familiæ felicitas & gloria nequeat eſſe ab regni dignitate ac felicitate ſejuncta.

Significavit hoc ipſe LUDOVICUS MAGNUS, cujus ſententiam vel oraculum potiùs conſignatum iis litteris habemus, quas edito in lucem nepote ſtatim ad Illuſtriſſimum Pariſienſem Archiepiſcopum dedit, ut ſolennes preces & gratias Deo publicè perſolvendas indiceret. In iis, inquam, litteris Rex profitetur nihil à ſuperis, quod præſtabilius regno foret, iſto puero cóncedi potuiſſe. Enimverò ſive pacis & belli artes, ſive religionem ſpectemus, quibus duabus partibus totum imperium continetur, ita reperiemus huic utrique parti

reipublicæ præclariſſimam ſpem ab iſtis læ-tiſſimis natalibus affulgere. Magnum decus ac præſidium rei tum ſacræ tum civili comparatum in Sereniſſimo Duce Burgundiæ dico; utramque ab illo tuendam olim inſigniter atque amplificandam eſſe.

Placet ipſius LUDOVICI mentem exquirere. LUDOVICE MAGNE, quas in ſpes hunc Puerum, nepotem tuum alis? audite quicunque religionem & pietatem impenſius colitis, quibus res ſacræ cordi & curæ ſunt, audite. Sic loquitur LUDOVICUS in iiſdem litteris ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Pariſienſem datis, nihil ſibi eſſe antiquius, nihil prius faciendum, quàm ut cœlitum gratia paxque concilietur ut hunc nepotem ſuum educare poſſit ad... quid cenſetis illum eſſe dicturum? ad majorum ſuorum gloriam, ad propagandos imperii fines, ad orbem utrumque ſub jugo mittendum aliquando? Imo verò, inquit, ſunt enim hæc epiſtolæ concepta verba, ut educare illum ad divinam gloriam poſſim. O Regis animum verè chriſtianum, ô dignam religioſo Principe ac verè pio vocem! Quid hæc ſibi verba volunt? quæ tua mens, LUDOVICE MAGNE, quod conſilium educare nepotem vis ad gloriam divinam amplificandam, hoc eſt, ut res ſacras tueri atque ornare aliquando poſſit; hoc eſt, ut Chriſti regnum proferre malit quàm ſuum;

hoc eſt ut injurias numini irrogatas ulciſcatur ſeverius, quàm illatas Regi; hoc eſt, ut ædes ſacras dirutas reſtituat, profanas dejiciat atque evertat; hoc eſt ut cives ad hæreſim ſectandam temporum calamitate & natalium interdum conditione antea compulſos, nunc verò dedoctos & ad patria ſacra redeuntes amplectatur & foveat; hoc eſt ut improborum ubique conſiliis occurrat, furorem debilitet, ſceleri reſiſtat, hoc eſt ut ſuum Eccleſiæ Romanæ ac ſummo Pontifici contra nonnullorum tacitas inſidias & molitiones, nonnullorum apertam vim, decus & ſplendorem aſſerat.

Fortunatiſſime puer, qui tantas in ſpes creſcas? qui eo conſilio educandus ſis ab Chriſtianiſſimo & religioſiſſimo Principe! reum certe, reum voti LUDOVICUM MAGNUM facies, ejus etiam vota cumulabis: facere omnino aliter non poteris, jam certo illius judicio tuendæ religioni addictus & mancipatus es, deſtinatus divinæ gloriæ amplificandæ & hac ſolenni quaſi devotione obligatus. Quod ſi regius Puer hoc avi ſui voto & ſponſione non tenetur, exemplo tamen illius ac rebus pro chriſtiana re tutanda ornandaque præclare geſtis incitaretur. Poteritne religionem non amplecti & fovere omni ſtudio, cum LUDOVICO MAGNO nihil ea fuiſſe antiquius audiret? cum disjecta hæreticorum fana plus

mille, traductos ejus clementia & æquitate ad majorum fidem innumerabiles; cum pietatem illius incredibilem in ſacris myſteriis obeundis, aſſiduitatem in divina re frequentandâ, modeſtiam in templis, & quam ubique præ ſe fert numinis venerationem cultumque, cum ejus præclariſſimam vocem & omni celebrandam laude meminerit, qui non ita pridem diceret vehementer optare ſe, ut Galli veterum ſuper avita Religione litium & contentionum obliti, eandem omnes in fidem & ſententiam convenirent, tametſi ſibi profundendus ſanguis foret, etſi præcidenda regalis illa & invicta dextera; hoc ſibi tanti eſſe, ut illud iſto bene redemptum pretio judicaret. Quid? cum idem regius Puer Sereniſſimi Delphini pietatem ob oculos poſitam intuebitur? Dedit illius argumenta nuper eximia, quæ quanto ſtudio fuerint à LUDOVICO MAGNO probata & laudata novimus. Nonne iiſdem inſiſtere veſtigiis glorioſum ſibi ac præclarum eſſe ducet?

Neque minus firmum in eodem Sereniſſimo Duce Burgundiæ civilis rei columen erit quàm Religionis. Circumſpicite omnia quibus imperium ſtare ac florere ſolet, incolumnitatem, pacem, litterarum ſplendorem, rei militaris gloriam. Ego verò iſta vobis læta, proſpera & fortunata ſpondeo non vanus augur, & promitto, Galli; va-

dem habeo locupletem hujus meæ ſponſionis ac vindicem Sereniſſimum Burgundiæ Ducem, quem iſtarum vobis rerum aſſertorem, cuſtodem, conſervatorem fore polliceor atque denuncio. Quid eſt verò cujus omen præſentiſſimum in ejus natali die non habeatis? pax? in ejus eſt ſinu natus, natus parente pacis amantiſſimo, ab avo ducit ortum cui pacifici nomen triumphis omnibus, quibus ſi vellet, frueretur, viſum eſt glorioſius. Natus ea tempeſtate anni quæ pacem, abundantiam, ubertatem ſonat? Quid deinde rei militaris gloria? oculos iterum in avum, in parentem conjicite. Eſt in filiis patrum virtus, inquit Vates, *fortes creantur fortibus, nec imbellem columbam pugnaces aquilæ progenerant.* Quid quod ſi qua fides aſtris eſt, quorum eſſe vim aliquam nemo negaverit, editus in lucem eſt eo menſe quo ſol obtinebat leonem; nonne ſolis ignes, animos & robur leonis æther ipſi benignior naſcenti adpromittit?

Certiores ego ſtellas conſulam unde Sereniſſimi Pueri horoſcopum conficio, à Patre felix, ab avo magnus, à Proavo juſtus ab ipſo denique abavo, fortis erit. Neque ſolùm domeſticis ſed externis etiam laudibus florebit. Annon hoc vel ipſum pueri nomen præſagit atque indicat? Referet cum nomine tot Burgundiæ Ducum virtutes, & intermortuam laudem tanto inter-

vallo revocabit, redde nobis audacem animum Philippi, intrepidum Joannis; Philippi alterius, qui Joannem excepit, pacificos mores indolemque optimam imitatus, devictum orbem æterno fœdere componet, Caroli, poſtremi Burgundiæ Ducis fortitudinem ſecutus, hoſtes, ſi qui reſtabunt, Gallo parere voluntarios coget.

Vobis verò, Viri eruditi, addicti Muſis, amantes litterarum, quanta gratulandi ſeges eſt! Editus Patre litteris humanioribus apprimè inſtituto; matre iiſdem perpolita, avo liberalium artium patrono & defenſore munificentiſſimo, litteras amabit, mihi credite, illas in fidem ſuam clientelamque, cum erit ætas, accipiet. Cur verò, Pariſini cives, vobis præcipuè non gratuler? Video lætitiæ hujus partem longè maximam ad vos perveniſſe, urbem his diebus ſuis velut emotam ſedibus gaudio triumphaſſe, nonne hoc ſatis argumenti eſt, futurum aliquando, ut ex hujus Pueri virtute, gloria, rebus geſtis, præcipuos fructus, uberrimoſque capiatis? Sinite verò, auditores illuſtriſſimi, quod jam inde ab initio ſignificaveram, hujus Collegii atque adeo totius noſtræ Societatis præcipuam aliquam in hac lætitia partem eſſe. Quid enim eſt quod ab Sereniſſimo Puero non expectemus, ſi ex iis beneficiis conjecturam faciamus, quæ avus ipſius inviсtiſſimus, quæ Sereniſſimus

Parens in nos tam prolixè contulerunt? Tanta ſunt in hanc domum unius LUDOVICI MAGNI merita, tam incredibilis in Societatem noſtram, benignitas ut illi explicandæ nulla par inveniri poſſit oratio. Noſtrum profectò non eſt tantum illi remetiri ac reponere, quantum res ipſa poſtularet: dabimus operam ſaltem, ut animos recolendis ejus beneficiis, ora celebrandis laudibus, labores, operam, ſtudia, excolendis litteris, inſtituendis veſtris, cives, qui ſunt ipſi cariſſimi, liberis impendamus.

Voſque inprimis, Superi, ac te præſertim, LUDOVICE SANCTE, Galliæ Preſes & inter indigetes Divos huic imperio ac Regio nomini addictiſſime, cujus memoriam & virtutes annuis ſacris hoc menſe recolimus, vos inquam aris affuſi ſupplicesque precabimur, ut hæc dona, quæ in regiam domum & univerſum hoc imperium tam effusè congeſſiſtis propria velitis eſſe ac perpetua, & hanc tantam publicæ rei felicitatem, auctore LUDOVICO MAGNO partam, in ejus filium Sereniſſimum Delphinum derivari, propagari ad nepotem, pertinere ad poſteros, magnis incrementis auctam, amplificatamque jubeatis.

DIXI.

QUAM FALSO ET PERICULOSE, INGENII FAMA NOVITATIS DEFENSORIBUS TRIBUATUR.

ORATIO.

HABITA PARISIIS KAL. OCTOB. AN. M. DC. LXXXIII.

AMBITIOSUM profectò genus homines ſumus, AUDITORES ILLUSTRISSIMI,) idque cum cæteris in rebus tum verò maximè in conſectanda ingenii gloria quæ tam ſuaves illecebras habet, nemo ut homo ſit, qui de ingenio reliquis facile concedat, quamvis alia in re ac laude inferiorem ſe illis haberi patiatur. Ac iſta quidem ingenii contentio & pulcherrimæ famæ cupiditas ferenda ſanè, imò etiam laudanda videretur, ſi certos intra limites cancelloſque ſtaret, ſi ad ſecundos tantùm animos, ad excolendas artes & perpoliendas incumberet :

beret: verùm erumpit illa ſæpè ulterius, & ad reipublicæ liberi exitiumque graſſatur. Hoc & ſuperioribus olim ſæculis, & noſtra maximè patrumque memoria intellectum eſt, cùm plurimi, ut præpoſteram ingenii famam ſibi conficerent, liberales artes benè à veteribus traditas, diſciplinam Eccleſiæ à majoribus optimè conſtitutam, non mediocriter labefactarūt. Puduit homines non ineptos, & ſuo etiam judicio ſubtiles ac eruditos, eamdem quam erant veteres pridem ingreſſi, viam terere; ignotos antiquitati calles rimati ſunt, quàm rectè dicerent, quàm religioſè ſentirent, modò ſentirent ac dicerent ingenioſè, minimum laborarunt: hinc illa rerum labes, illa opinionum perturbatio, illa ſcriptorum pariter & animorum funeſta crudeliſque diſſenſio.

Neque verò illi tantùm peſtiferæ novitatis artifices & Magiſtri ad publicam rem perdendam plurimum per ſeſe profecerunt; adjunxere ſe illis bene multi, qui hac ingenii laude pellecti eamdem in cauſam ſe fortunaſque ſuas contulerunt. Quàm multi hodieque jurant in recentium Philoſophorum verba, quàm multi novorum Theologorum dogmata profani homines & nunquam initiati myſteriis, tractant ac tuentur acriter, habent illorum nomen in pretio, venerantur auctoritatem, eruditionem ſuſpiciunt, ſcripta deoſculantur: quæras,

quo inducti pretio, quid ſpectent, quid ſequantur? Laudem & famam ingenii. Sunt illæ, inquiunt, hominum ingenioſorum partes, illi uni vident ac ſapiunt, boni verò iſti vetuſtatis amatores, tardi, miſerabiles, imperiti ſunt.

Hæc præpoſtera ingenii laus & fama partibus Novatorum afflicta hæreſes plurimas, præſertim Calvinianam excitavit ac fovit. Erant in Calvini grege, ſicuti meminiſtis, homines non indocti, litteris Latinis, Græcis etiam, quod portenti ſimile tunc temporis videbatur, & Hebræis perpoliti: colebantur ab iis qui præſtare ceteris ingenii gloriâ videbantur. Hunc aditum nacti novitiæ ſectæ præcones, vetuſtæ religionis decus & integritatem ſuis deinde commentis fœdè inquinarunt. Juvat, AUDITORES, meminiſſe ac notare diligenter artem iſtam quàm callidi veteratores noſtro malo tam feliciter adhibuerunt, & quamvis incredibili Regis prudentiſſimi ſapientia perfectum ſit, ut ab eorum fraudibus nihil videatur eſſe jam pertimeſcendum, erit operæ pretium tamen hoc hodiè paulò accuratiùs expendere, ut ſimus ad ejuſmodi pericula & artificia declinanda, ſi forte opus fuerit, cautiores.

Itaque omiſſa in præſens cauſa novitas univerſè de cujus periculis abundè ab hominibus eruditiſſimis video eſſe diſputatum,

hoc unum mihi ſumo ad refellendum quod jactari vulgò ſolet, plurimum eſſe ingenii in ſectanda doctrinæ novitate. Id quam falsò, quam periculosè jactetur, exponam. Aggredior iſtos oſores vetuſtatis & contemptores, qui ſe, qui alios hoc nomine uno ingenioſos habitum iri putant, ſi novas opiniones, ſive illæ Theologiæ ſive Philoſophiæ partem aliquam ſpectent, arripiant ac tueantur, ſi quæ ſunt à veteribus traditæ & acceptæ, faſtidiant atque elevent, dico illos errare graviter qui tantùm ingenii putent eſſe in ſectanda novitate, dico facere periculosè, qui hoc & ſentiant ipſi, & in vulgus tam ambitiosè prædicent. Falluntur vehementer, hoc primum; in grave periculum ſe & rempublicam conjiciunt, hoc alterum caput orationis erit.

(Utrumque non dubito quin tibi gratiſſimum accidat, * Princeps Sereniſſime) neque mihi viſum eſt quidquam accommodatius, quo te redeuntem ad priſtina ſtudia & Philoſophicum curriculum magno animo ingredientem, compellarem. Habet enim hoc argumentum defenſionem quandam & religionis, qua nihil viris principibus debet eſſe antiquius, & veteris Philoſophiæ cujus te candidatum profiteris; in qua Ma-

* Sereniſſimus Dux Borbonius tunc Philoſophiæ Auditor in Regio LUDOVICI MAGNI Collegio Societatis JESU.

jores tui; Avus invictiſſimus, Sereniſſimus Parens, tot palmis, tot laudibus bellicis, quæ ſunt Heroum propriæ, ornati, tàm illuſtrem quoque ingenii lauream, quod Heroum non ita multorum eſt, collegerunt. Ades igitur, ac dicenti fave, cùmque partem illam ſtudiorum humaniorum ſuaviorem & mitiorem in qua eluxit amœnitas & elegantia ingenii tui, feliciter abſolveris, nunc partem alteram ſeveriorem, cujus aſperitatem omnem illo animi & judicii robore quod in hac tenella ætate tua mirari licet, facilè ſuperabis, cognoſcere incipe, ac litterarum quibus tantum affers ornamenti, quæ tibi tantum afferunt gloriæ, dici jam nunc judex & patronus ama.

Vereor ne pars prima orationis meæ aliter atque ſentio, à quibuſdam accipiatur. Neque enim is ſum qui negem ullos omnino in partibus novitatis, homines ingenioſos reperiri, aut ullum in iis ingenio vel demonſtrando vel acuendo locum eſſe: hoc dico tantùm; ex eo quòd recentem doctrinam aliquis amplectatur, nequaquam id argumenti ſatis eſſe, ut ingenioſus, quod vulgò tamen jactitant, habeatur: ac ſi qui ſunt reipſa inter auctores novitatis, ingenio præditi, eos non eam ob cauſam quòd ſequantur doctrinæ novitatem, ingenii laudem hanc promereri. Hoc verò ut intelligatis, conſtituite, quæſo, mecum quas putetis eſſe dotes præſ-

tantis ingenii, quæ ſigna, quas notas, unde illius fieri conjectura poſſit. Opinor, ingenium illud excellens dicimus quod ſolidum ſit, quod ſubtile, quod politum. Solidum, ut hæreat in veritate, ut à vero non aberret: ſubtile, ut verum penetret altius ac veluti pervadat; politum, ut veritatem ornet, illuſtret, in bono lumine collocet. Videamus utrùm iſtæ dotes ad novitatis patronos magis quàm ad vetuſtatis defenſores pertineant.

Dos ingenii præcipua eſt ut ſectetur veritatem, in ea quærenda elaboret, eam ſequatur quàm proximè, ſi penitùs aſſequi non poteſt. Quemadmodum enim ſublato bono, nullus eſt virtuti ac bonæ voluntati locus, ita nullus eſt ingenioſæ menti, ſublata veritate. Veritatem tolle, præſtantis ingenii fundamentum & ſolum ſuſtuliſti. Quæramus igitur num ad verum propiùs accedant, in eoque inveniendo feliciùs elaborent iſti ſectatores novitatis & alumni. Eorum alii ne laborant quidem de quærenda veritate: alii tametſi laborent, aut fruſtra laborant, aut magno certè verſantur in periculo numquam illius aſſequendæ. Peto à vobis cur iſtas partes eorum plerique amplectantur, vereor enim ne non fateantur ipſi quod res eſt, neque ſatis candidè reſpondeant: alii rem & fortunas, alii nomen & famam, aliud alii ſectantur, veritatem quis illorum vehemen-

ter quærit? Aliquis vel natalium conditione vel ſuo quodam vitio deliteſcit in tenebris, & in tenui re natus evolare vult altiùs, ac majores, ut aiunt, nido pennas extendere, ad partes novitatis convolabit: alter ingenio tardior aliorum qui veteris doctrinæ cauſam tuentur, fama & exiſtimatione uritur, ſeceſſionem facit, ibi eſſe mavult, ubi aliquo loco & numero ſit, ſimiliter atque olim de Græcis artificibus narrant, eos qui tibicines eſſe non poſſent, cytharædos fieri conſueviſſe; ita iſti, quia vident fore, ut jaceant inter defenſores antiquæ doctrinæ, recenti favent: nequeunt vetuſtatis adyta penetrare, novum ſibi fabricant idolum cujus ſe Sacerdotes profitentur; intelligunt non eas ſibi ſuppetere vires ut in veteranorum militum maſculo grege ſtipendia faciant, ad ſplendida illa recentium militum caſtra confugiunt. Quid deinde? qui odio, invidia, prava æmulatione perculſi, nomen ſuum inter novatores profitentur, num eos de veritate plurimum laborare, quamvis id jurent, credemus?

Sed eſto ſanè, veritatem ſeriò conſectentur, num eam certiùs in novitatis partibus quam in vetuſtatis regno aſſequuntur? Quod ſpectat Religionem, planum eſt quidquid novi contra vetera inſtituta procudatur, totum id à vero penitus alienum eſſe, meram veritatis larvam, merum eſſe commentum;

tum Religio antiquitate una maximè ſtet, vigeat, effatis ſacrarum litterarum quæ ſunt antiquiſſimæ, placitis conciliorum, veterum Patrum expoſitione, traditione jam inde uſque à primis temporibus repetita, vetuſtiſſima ſacrorum Pontificum & rituum ſucceſſione. Quod verò ſpectat artes liberales ac diſciplinas, num cuiquam dubium eſſe poteſt, quin graviſſima ſaltem ſuſpicione falſitatis novitas laboret? Veritas ſua ſe canitie & maturitate commendat, cruda illi ſenectus & viridis, quæ ſic ipſi fidem auctoritatemque conciliat, ut vires non imminuat. Opinio vetus quia jactata pridem eſt, quia excuſſa & agitata minus mihi ſuſpicionis facit, tametſi quare veritas illi conſtet, non videam; at opinio recens licet mihi vera videatur, licèt ſplendida, licet veri etiam ſimillima, dubitationem tamen mihi, metumque non adimit: habeo cur præſtigias fucumque metuam. Adulterinos ſæpè nummos veris & germanis nitidiores aſpicias, ut in oricalcho plus aliquando ſplendoris inſit quàm in auro; ſed illos ſi pertundas, ſi ſpectes attentiùs, ſi conjicias etiam in ignem & quandam quaſi de ipſis quæſtionem exerceas, facile ſpurios illos eſſe deprehendes.

Nemo non miratur cometas, extemporales illas ſtellas, ſi tamen ſtellæ aut omninò è ſtellarum genere ſunt, ſuſpicit eos popu-

lus & longa radiantis caudæ ſyrmata, aut capillatum radiis caput, aut lucidos in pacifico ac ſereno aëre mucrones quaſi bella miſeris mortalibus & funera denunciarent, non ſine metu contemplatur: ſordent fere præ illis alia quæ certam in cœlo ſedem obtinent ſydera: poſtpaulo tamen iidem evaneſcunt.

Si vim igitur ingenii rationemque potiſſimum in eo ponimus, ſi dotem hanc illius præcipuam & facultatem arbitramur, ut quæ vera ſunt aut certe veris proxima inveniat & dignoſcat à falſis, quis non concedet ingenio favere magis vetuſtatem, quæ à ſuſpicione falſitatis periculoque longiùs quàm novitas remota ſit? Jactent igitur ſe quantum libet artifices novitatis, quandiù illos falſi ſuſpicabor, quod in Religionis cauſa nemo negat, in aliis diſciplinis partim liquet, partim valde credibile eſt, ingenioſos non putabo, neque illis plus admodum credam, quàm exoticis medicis & peregrinis. Florent illi tantiſper dum eos popularis aura juvat, dum opportuna curatio una vel altera favet, imponitque rudi populo; mox ubi eorum inſcitiam dies uſuſque refutavit, exploduntur denique & concidunt.

Nonne bonis eum oculis præditum eſſe meritò neges, qui res aliter atque ſunt videat, quamvis tam acutum cernat quam aquila aut ſerpens Epidaurius? Num illud ſpeculum

culum jure laudes, quod ea quæ objiciuntur in alienam partem & formam converſa repræſentet, quamvis læve ſit ac politum? Sic ingenii bonitas & ſubtilitas in fictis rebus ac falſis aut nulla aut perexigua eſt. Cui enim non eſt facile fingere? Offerunt ſe mendacia vel dormientibus, veritas etiam vigilantibus excidit. Sexcentæ ſunt, quibus aberres, viæ, rectum iter plus uno eſſe non poteſt. Delirant interdum ingenioſe amentes atque ebrii, qui ſunt omni tamen bona mente deſtituti. Hunc in modum laudentur iſti per me licet novarum artifices opinionum, delirare cum ingenio ac errare concedantur, neque tam idcirco laudandi quam miſerandi videantur. Atenim vera ſentiunt, veriora veris docent. Quî probant? Hoc enim ſi planum facerent, ab illis me ſtare profiterer: quæ tuentur ut vera, ipſis ſolis vera ſunt, nonnullis falſa, plurimis ſaltem dubia & controverſa, quæ dum ita videbuntur, vetuſtati pluſquam novitati eſſe tribuendum affirmabo. Et verò ſi nomen ac ratio antiquitatis ſatis cauſæ non eſt, id quod ipſi pugnant, ut res aliqua cenſeatur eſſe vera, cur ſatis eſſe cauſæ ad veritatem putem, quòd nova ſit?

At rem conſideravi diligenter, excuſſi omnia, ponderavi, libravi. Eſto ſane: ſed vereor tamen ne quis examen improbum in illa tua trutina caſtiget. Tamen, quàm pau-

ci vere id profiteri poſſunt! illorum dictata excipiunt, inventis & ingenio gaudent? Quotuſquiſque illorum eſt qui per otium eas quas tanto tuentur opere controverſias ſuper litteris aut religione ortas, ſerio expenderit, qui rationum momenta libraverit, qui de illis marte ſuo ſtatuere poſſit? Nequeunt alii per occupationes, alii per ætatem, alii per conditionem, alii per ingenium; nonnulli propter graviſſimas, quibus adducti partes iſtas amplexi ſunt, cupiditates; plurimi propter ſuſcepta præjudicia quibus à puero ſæpe imbuti ſunt: mancipavit ſe unus aliquis recenti cauſæ, delatus eſt in hunc hominum, ut audivit, ut putat, ingenioſorum gregem: certum illi ac fixum eſt quidquid iſti curiæ viſum fuerit ſequi, pedibus ire in omnem ſententiam quæ pauculis quibuſdam primarum partium ſenatoribus probata fuerit. Negant illi quidpiam? negat: aiunt? affirmat: an vero ipſe per ſe rem expendit, an diligenter cum animo ſuo conſideravit? an peritos ejus rei conſuluit? an alteram partem eorum qui aliter ſentiunt, audivit? Nihil iſtorum: ita factio judicat, hæc ingenio pollere dicitur; veniam in partem famæ, hoc unum judicavit.

Placet hominem interrogare? deprehenderis illum ſæpe in elementis ipſis rudem, infantem in nominibus, ne primoribus qui-

dem ſectæ myſteriis initiatum. Premetis hominem diſputando ? fugiet. Urgebitis ratione : ridebit : revocabitis eum ad ſeverioris Philoſophiæ leges ? numquam ſe de illis audiviſſe rebus gloriabitur, & verum ſane dicet. Obſolevit, inquiet, ipſa ratio diſputandi, quis paulò jam elegantior & acutior ita ſentit, quis ita loquitur? relinquatur hoc ſanè puerorum ſcholis & exercitationibus, decrepitis quibuſdam anilis Philoſophiæ defenſoribus relinquatur : dedocuit nos hæc ætas & ſapere monſtravit, in eam ſi redirent veteres illi Philoſophi, quos ludos cum ſuis neſcio quibus Accidentibus, cum animabus è materia eductis darent ? ut furcillis expellerentur ? ut eorum barbam hirſutam & hiſpidam noſtri Philoſophi illa ſubtili ſua novacula raderent! ita homo ingenioſus ludet, ita jocabitur : explodet etiam adverſarium ut pedagogum è trivio bellulus Philoſophus, ſeque uno Philoſophiæ recentis nomine pulchrum ac beatum, contraque tela omnia ſatis ſuperque munitum arbitrabitur, more atque inſtituto Pythagoræ diſcipulorum, qui ſi hærerent aliquando, ſi quid objiceretur difficilius ad ſolvendum, ſuum illud ſolenne occinebant αὐτὸς ἔφα.

Lepidum eſt in eam rem quod narrant. Unus aliquis ex iſtis recentiorum Theologorum amatoribus, vir cætera inter ſuos

honeſtus & nobilis, cum in eruditorum corona multa de prædeſtinatione Sanctorum & gratia Redemptoris garriret, percontatus ab eo quidam eſt doctor Theologus, qui fortè aderat, neque os hominis ferre diutiùs poterat, quidnam tandem gratia eſſet, quid prædeſtinatio? Ille cùm ad inopinatam interrogationem obmuteſceret, dixit ad extremum habere ſe quod reſponderet: hic omnes expectare quid eſſet dicturus, gratulari ſibi Theologus qui hominem commoverat, rogare iterum, ut arcanum illud de quo tam argutè diſſereret, ut gratiæ ſaltem nomen & prædeſtinationis explicaret. Ille frontem perfricans, quaſi magnum aliquid parturiret, ægrè demum reſpondit, habere ſe domi doctorem & libros unde iſta quemadmodum eſſent explicanda & definienda facilè cognoſceret; nonne vobis videtur magni eſſe atque excellentis ingenii poſſe hoc tam opportunè reſpondere? Ingenii laus propria ſit oportet, non aliundè corogata non aſcita extrinſecus & aſſuta. Quiſquis hanc ſibi vendicat rem per ſe ipſe, quæ venit in controverſiam, cognoſcat neceſſe eſt.

Credant aliis ſanè, qui ſibi credere nequeunt, ſtent aliorum judicio, qui ſtare non poſſunt ſuo, aliorum ſententiis, ut imbelles hederæ validis arboribus adhæreſcant, qui ſuis radicibus niti non valent. Credis doctori domeſtico, Philoſopho recenti vel Theo-

logo qui te magna mercede ſapere nihil doceat, laudo fidem tuam, humanitatem admiror & docilitatem, qui rebus minimè perſpicuis & perſpectis ultrò aſſentiare; ingenium cur admodum laudem, non video. Eant illi nunc & veteris doctrinæ fautoribus objiciant quod antiquorum terant veſtigia & religioni ducant ab eorum ſcriptis & ſententiis vel latum unguem diſcedere; uſurpent in nos illud è ſatyra, *ô imitatores ſervum pecus!* Quid! hoc in ipſos nonne magis quàm in nos convenit? nonne melior etiam cauſa vetuſtatis & cum prudentia conjunctior? Ducem ambo ſequimur: eſto: at ego ſpectatum & emeritum ſequor, neque unum tantùm ſed plures, neque ſolus, at cum aliis plurimis eruditis profectò & ingenioſis, tu quem ſequaris, quam comitatus & à quibus, vide.

Dicet aliquis, nonnullos tamen eſſe inter amatores novitatis, qui legendo ſtudendoque curent ea per ſe cognoſcere quæ vocantur in controverſiam? Ego vero nego illos id ſatis commodè facere poſſe, nego eſſe vetuſtatis defenſoribus in ea re ſuperiores. Quas enim quæſo nobis inveſtigandæ veritatis regulas viri in omni memoria ſapientiſſimi reliquerunt? ſi de religione ſermo eſt, antiquitatem ſequere; ſi de artibus ac diſciplinis, rationem: interdum etiam, ubi eſt ratio obſcurior, auctoritatem. Ex iis regu-

lis quam ſequuntur Novatores? antiquitatem ſpernunt, auctoritatem explodunt. Rationem? planè, inquiunt, rationem ſequimur: ad hanc enim veluti ſacram anchoram Philoſophi recentes perinde atque hæretici ad verbum Dei purum putumque, confugiunt. Rationem ſequuntur? quam? communem, an ſuam? ſuam inquiunt, ſed manifeſtam & evidentem. Sane, ſi quid concludunt vera & manifeſta ratione, mecum faciunt: ſed quæro, quid afferant, quò ea probent ac demonſtrent, quibus tota ipſorum doctrina nititur? Cur ea ſibi gratis dari & concedi poſtulant? quia principii vim, inquiunt, & rationem obtinent. Sed principia per ſe patent, ea verò quæ poſtulant, quæ pro principiis ſumunt; an ſint vera necne, valde obſcurum eſt: nam ſi negem eſſe materiam hanc quadratam ſeu cubicam & motum qualem iſti ponunt, ſi figuram, quid eorum tota Philoſophia fiat, qua ratione ducti Accidentia, belluarum animas, materiam primam è medio ſuſtulerunt? Evidenti per ſe, inquis? Cur non omnibus æque patet? quæ ratiocinando colligatur? cur ab eruditis omnibus non colligitur? num rationem ſequuntur cum loquuntur adeo pugnantia, ut bellum indixiſſe rationi videantur, cum negant idem & affirmant? non eſſem id facilè vobis probaturus, niſi eſſet multorum memoria & editis etiam libris teſtatum.

Premebantur ante annos aliquot nonnulli recentes Philoſophi, & male ab adverſariis multabantur in conſeſſu hominum frequentiſſimo, ſudabant miſeri & æſtuabant. Invenerunt tandem viam, ut ſunt ingenioſi & præclara inter ſuos fama, qua ſe expedirent. Quam? audite, nemini veſtrûm, opinor, etſi de ingenii gloria nihil iſtis concedatis, ſolvendi Gordii alicujus nodi ratio tam facilis occurreret. Affimare non dubitarunt divinitus ea fieri poſſe quæ ad contradictionem implicantur, putà, ut ne bis quatuor, octo efficiant. Idem verum ſimul ac falſum eſſe poſſe. Atque hoc etiam mandare litteris & propugnare poſtea auſi ſunt. Id qui dicant, nonne ſatis declarant ſe perditis rebus deſperatiſque confligere, neque ſibi animos & pertinaciam, ſed rationem & cauſæ bonitatem deeſſe. Quis enim eſt tam ignarus atque hebes qui non videat, hæc ſi defenſio ſtet ac probetur, Philoſophiam univerſam ac Theologiam concidiſſe? Quid enim agas, ſi quid negem inſulse vel affirmem? Opinor, eò me reducas ut oſtendas loqui me pugnantia, quod negem, affirmare, negare, quod affirmem; id verò ſi concedam ultrò & iſta tua præclara defenſione utar, quî me revinces? Amplius dico: ſuam omnem doctrinam illi ipſi qui ſic loquuntur convellunt: ſubducto enim iſto effato, tanquam fundamento & ſolo, ruere totam domum ac jacére neceſſe eſt.

Sed alia ſunt è quibus intelligi prætcrea poſſit eorum ingenii imbecillitas & levitas. Pertinaciam dico, arrogantiam, temeritatem, adulationem, ceteraſque malas artes, quibus ingenii famam parare vel retinere certant; non dimoveri facilè à ſententia, laudis eſt & conſtantiæ, ſi vera ſentias, ſin falſa, ſin valdè dubia, ſin parum explorata, pertinaciæ ac furoris. Quippe, ut corporis ita ingenii vis quædam eſt vitioſa: valent incredebili robore qui phreneſi laborant, ut etiam robuſtiſſimis ac fortiſſimis hominibus pugnent, eoſque dejiciant: quis eorum tamen vires laudaverit?

Quid dicam de novatorum arrogantia? Numquam illum inter ingenioſos numerabo qui ſibi uni laudem ingenii datam, ceteris præreptam velit: qui tantum ſuo judicio tribuat, ut quod ſemel pro vero ſumpſerit, illud erroris omnis expers ac dubitationis putet; parum ille novit humanæ mentis imbecillitatem & anguſtias, neque mihi cetera ſatis commodè ſcire poſſe videbitur, qui ſeipſum ignorabit; cujus verò temeritatis eſt, neſcio quos recentes magiſtros tot antiquis doctrinæ luminibus, paululos infinitis, receptis dudum paſſim ac probatis ignotos & ſuſpectos, ſe unum aliquando priſcis omnibus ætatibus, opponere & anteponere? graviſſimis in rebus & controverſiis ubi Religio, ſalus, fides agitur, non ad eam partem ac-

cedere, quæ eſt cautior, in erroris periculum ſcientem & volentem ruere, in difficillimas & ſanctiſſimas quæſtiones judicium ſuum interponere? tametſi tuæ tibi ſis ignorantiæ conſcius ac tarditatis. Quod ſi eos qui uno aliquo vitio ex iis quæ commemoravi, laborant, meritò eximendos numero ingenioſorum putamus, quid iſtis faciemus amatoribus novitatis, in quos ea cadere omnia penè ex æquo cernimus?

Sed ut magis etiam perſpicere poſſitis quàm injuriâ ſibi laudem hanc vendicent, conjicite oculos in univerſum illum gregem neque enim ex uno vel altero, qui fortè ſint eximii, conjectura de ceteris facienda eſt. Quinam fermè conflant iſtas partes novatorum, ex quibus illæ quæſo coaleſcunt? Nonne ex promiſcua hominum turba, ex imperitis adoleſcentibus, aulicis rudibus & litterarum ſæpè ignaris, è civibus proletariis nonnunquam, & tabernariis; ut plurimum è nobilibus puellis & mulierculis, quibus certè ut elegantiam, argutias, & acumen aliquod concedamus, nemo tamen generoſum illud ac præſtans, quod quærimus, ingenium dederit. En ingenioſorum nationem iſtam quæ tantopere laudatur, en caſtra illa, eruditioni, litteris, ingenioque ſacra, unde ceteros tanquam profanum vulgus arcent.

Pudet me veſtri defenſores antiquitatis,

inopiæ veſtræ ſolitudiniſque pudet ! qui tam paucos habeatis partium optimarum propugnatores, eoſque ſæpè ingenio ſuo diffidentes, interim dum adverſarii puellarum & matronarum greges, artificum, aulicorum, militum, togatorum, aſſiduorum etiam & capitecenſorum, habent: qui omnes pro ſuo ingenio res difficillimas altercando tueri & propugnare poſſint, ſi rogentur ſententiam, nihil cunctati reſpondeant; ſi quis obluctetur, conturbent hominem atque dejiciant. Quid quod legimus, novorum, qui proximè ſuperiori ſæculo nati ſunt, Theologorum uxores, dum abeſſent mariti, ſolitas in concionem aſcendere, dicere ad populum & ſacros codices exponere: noſtri verò illi recentiores patiuntur illas tantùm ſtudere ac docere domi, ut ne ipſarum ingenio careant, ſi qui eas audire valent; quam ob cauſam illud inſtituerunt abhinc paucos annos, ut vernaculo ſermone privatim nova Philoſophia, & nova, ut opinor, etiam Theologia doceretur.

Vultis aliud argumentum eorum imbecillitatis ac tenuitatis? Quid eſt quod inter ſe ita laudant, quod aliis alii famam & exiſtimationem ingenii & eruditionis tam operosè quærunt? Emicat fortè aliquis inter ipſos, ſcriptitat paulò concinniùs, garrit eleganter, ornatè diſſerit, epiſtolæ conſ-

cribendæ artificium callet, in Theologicis non omninò tardus eſt, videt aliquid in Phyſicis, illico vir eſt hominum generi divinitus datus, cum eo ſexcentos Ariſtoteles Auguſtinoſque non comparant. Prodit elegans ac politus ex eorum officina liber: ſudatum novem Muſis opus eſt, cedro dignum & lauro: mittitur in remotiſſimas regni provincias, auro & minio tegitur, in manibus omnium eſt.

Aſcendit aliquis in concionem ipſis non infenſus? Mirificum oratorem! revixit Tullius; Ambroſius, in illo Chryſoſtomus ſpirat & loquitur. Convolant undecumque leves mulierculæ, nobiles evocati, multitudo incondita, exorata precibus, pretio adducta, rogata per amicos, fictis laudibus illecta & commendatitiis libellis eodemconfluit. Hic denſi & ſtipati gementia ſubſellia perprimunt, exclamant identidem compoſitò nonnulli, eugè, bellè, quos ceteri, ne videantur iſtis præcentoribus minùs periti & ingenioſi, adjuvant & ſtrenuè ſubſerviunt. Spargitur tota urbe rumor, laborant vici confertis curribus, multi viſendi ſtudio etiam non invitati accurrunt, ut oratorem divinum, ſi non audire, ſaltem aſpicere eminus poſſint.

Neque hoc ſolum: ſed habent appoſitos homines & conductos in eam rem, ubique collocatos in inſidiis, qui prætereuntes ex-

cipiant, qui ſe certas in domos inſinuent, qui nec opinantes cives invadant qui obtrudant illis iſtorum nomina, qui præclaras eorum dotes, ingenium appoſitè commendent, ſcripta offerant delicatè compacta, etiam nullo pretio poſtulato, qui eos denique oculis civitatis & auribus inculcent. Hæc illi cum faciunt, cum fumum & auram popularem tam ambitioſè aucupantur, nonne hoc videntur dicere? Novimus quanta ſit apud nos excellentium hominum & ingenioſorum penuria, id agimus ſaltem ut eos, prædicatione noſtra, celebritate & rumore magnos faciamus. Non habebunt nobis fidem, ſat ſcimus, ii, qui guſtum aliquem & naſum habent, at multitudini certè perſuadebimus: multos è populo & nobilitate in noſtras partes pertrahemus. Dolo an virtute, re an rei ſpecie vincas, parum intereſt; ſi quis opponat ſe ſe, illum numero ſaltem vincemus, obruemus adverſa fama, malis rumoribus, invidiam illi & offenſionem creabimus: dumque frigebit apud populum ac jacebit miſer, ridebimus in ſinu ac palàm triumphabimus.

Quid eſt? Auditores, numquid affingo, nonne hominum orationem & mores agnoſcitis? Deſinant callidi veteratores populum inducere: deſinant ventoſæ plebis ſuffragia venari tot impenſis, tot concurſationibus. Si tales reipſa ſunt quales audire ge-

ſtiunt, ſedeant ſanè & quieſcant: ſplendet per ſe ſe ingenii lux & virtutis, micat vel in tenebris, & quam meretur laudem etiam ab invitis extorquet. Sin ambire populum, emendicare ſibi ſuiſque famam, aucupari putidè ſermones vulgi pergant, erunt fortaſſe aliquo in pretio apud homines ſui ſimillimos, à vobis certè prudentiſſimis rerum exiſtimatoribus contemnentur.

Reſtat unum, unde ingenii laus aliqua exiſtere poteſt: ſcripta nempè ſua lucubrationeſque proferent? è quibus ingenii ſi non ſolidi ac ſubtilis, certè politi famam laudemque collegerunt. Quas verò lucubrationes? quo in genere litterarum, quàm multas, quàm operoſas, quam reconditas? multa vernaculo ſermone ſcripſerunt, nam hoc illis in more eſt, opinor, ut ſe mulierculis commendent & imperitis; iſtud hominis diligentis ac diſerti, ingenioſi admodum & acuti non eſt. Philoſophiam admodum illuſtrarunt? vel potius depravarunt: egentem, infirmam, periculi plenam ex integra & valente reddiderunt. Elaboraſſe quidem video nonnullos in Phyſicis, ſi tamen illa ipſa quæ venditant, afferunt de ſuo, ſi veterum ſpoliis non diteſcunt, ingenioſi prædones; certè quin parum tuta ſint pleraque, inania multa & futilia, quibus non incommodè careamus, nemo negaverit. Theologiam rectiſſimè tradiderunt?

quam infecerunt erroribus, quam partim mutilarunt, partim deformarunt. Grammaticam ſaltem ornverunt? Magna laus ingenii: hoc eſt, eorum libros, qui hanc artem tradunt, egregiè compilarunt. Et erunt etiam nonnulli tam vecordes qui vetuſtiſſimos optimoſque in omni ſcientiarum & artium genere ſcriptores, præ iſtis recentioribus ne appellandos quidem putent? qui eorum libros avidè ſibi devorandos arbitrentur, qui prælegi pueris jubeant, & ad exemplum proponi? caveant illi, ne dum ita præpoſtere exiſtimant, ſuam inſcientiam fateri magis, quàm aliorum commendare ingenium & eruditionem videantur.

Maneat igitur hoc, non ſolùm conjecturam fieri ſatis idoneam non poſſe præſtantioris ingenii ex eo quod novitatis partes quiſpiam ſequatur, verùm etiam hoc ipſum vitioſi ac deterioris ingenii vel maximum argumentum eſſe. Quamquam iſtos placere ſibi de ingenio, & quam ita cupidè ambiunt laudem ipſis tribui facilè paterer, ſi res hîc ſtaret, ſi nihil eſſet hinc reipublicæ ac Religioni metuendum: verùm id jam efficiam ut intelligatis, errorem iſtum eſſe cum graviſſimo periculo conjunctum. Hoc mihi ſupereſt altera parte orationis breviter demonſtrandum.

Fuit hæc ſapientum pridem omnium vox & ſententia, novitatem non ſolùm in Re-

ligione, verùm in litteris & leviſſimis etiam rebus adeo peſtiferam & exitialem eſſe, nihil ut cavendum diligentius, nihil arcendum longius, propulſandumque judicarint. Hoc verò periculum multo eſt præſentius, cum homines ad eam ſectandam ingenii gloria & æmulatione provocantur. Oblitum hoc melle poculum inſidioſa novitas propinat facilius: his floribus occultatus anguis latet: hac eſca miſeri mortales prolectati, venenum intimis medullis accipiunt.

Quare ſic ſtatuo nihil periculoſius fieri poſſe, quàm ſi laus & fama ingenii novitatis partibus & cauſæ tribuatur. Multa ſunt quibus novitas cum primum naſcitur, ali & quaſi educari conſuevit, quæ fuſiùs exponerem ſi mihi apud aliquos rudes & in hiſtoria peregrinos habenda hæc eſſet oratio; nunc autem cùm in hominum eruditiſſimorum corona loquar, & ipſius temporis anguſtiæ me, ut paucis quod ſupereſt præcidam, admoneant, percurram tantùm obiter, atque indicabo.

Conjicite igitur oculos in orbem terrarum omnem, revocate in animum prætetita ſæcula, veterum ac recentium novatorum conſilia fraudeſque recognoſcite. Quas illi artes, quaſnam adhibuere machinas, ut ſuis figmentis vim, decus, auctoritatemque conciliarent? Alii pecunia, largitione, lu-

criſpe egentibus oſtentata mirum in modum creverunt. Ut nemo fere non eget, quamvis locupletiſſimus, ita nemo ferme iſto artificio non capitur. Alii honore, dignitatibus, ampliſſimis muneribus, homines inefcarunt: fraus eò periculoſior, quò ſplendidior & honeſtior. Profuit aliis crudelitas, vis, arma; quod perſuadere non poterant verbis & ratione, hoc minis, hoc ferro extorſerunt. Ita Mahometis impura ſecta percrebuit, ac totum ferme Orientem occupavit. Alii numero ſectatorum & copia, alii eorumdem ſplendore & amplitudine, multi gratia & favore Principum, plerique licentia vivendi ſceleratis oblata profecerunt. Quo in genere & artificio Lutherus atque Calvinus præſtiterunt ceteris. Subtiliores nonnulli ſanctitatis ementita ſpecie plurimum apud vulgus; non pauci opinione ſcientiæ apud eruditos, valuerunt.

Deus immortalis, quanta mole ab erroris artificibus laboratum eſt, ut veritas lateret, ut errori ſpecies & gratia quæreretur! quid inauſum, quid intentatum ſceleris ac doli reliquerunt ut miſeri mortales perirent? Sed omnium acutiſſimi famam ingenii diligenter conſectati ſunt. Si enim expenditis omnia novitatis errorisque præſidia, fraudes omnes & machinas; ſic reperietis nullam eſſe qua novarum inventores opinionum tutiùs & feliciùs abutantur. Nam pecunia quidem

tametſi

tametſi primum ſit veluti numen in orbe terrarum, nihilominus in promptu ſemper non eſt; tum divites, probi, magnanimi hoc hamo non facilè capiuntur. Munera, dignitates, honores alliciunt quidem ſuaviſſimè, at pertinent ad paucos; præſertim ſi reipublicæ moderator & Princeps parum addictus novitati. Vis, diuturna non eſt, barbaris adhibenda potiùs quàm ingenuis & liberis: corpora domare aliquando poteſt, animos nunquam poteſt. Numerus novatorum imperitæ multitudini facilè fucum facit, quæ putat hoc eſſe veriſſimum quod plurimi amplectantur, at etiam facile diſſipatur iſte numerus, niſi aliquo vinculo contineтur.

Hoc autem vinculum quale ſit quærimus. Neque plus admodum habet ponderis ad homines alliciendos nobilitas, dignitas, ac ſplendor patronorum novitatis. Cùm enim religio & doctrina ſint communia omnibus bona, nemo ſibi tantum eſſe in illa juris non putat, quantum ipſis reipublicæ gubernatoribus. Itaque illorum potentiam in ea re auctoritatemque leviorem eſſe ducit. Quod ſpectat virorum Principum gratiam, incerta & valde commutabilis eſt. Quid ſi licentia diſcinctis & nepotibus ſceleratis & perditis blanditur, alios rectè inſtitutos & frugi deterret potius atque offendit.

Supereſt ſanctitatis & virtutis fama, ſed ea

quantumvis mirificos amores in hominum animis excitare ſoleat, impios ac libidinoſos, quæ maxima turba eſt, non admodum invitabit. Ingenii gloria & opinio nemini cara non eſt, imis pariter ac ſummis, populo æquè ac nobilitati, egenis & locupletibus, probis improbiſque jucunda, eadem facilè parabilis. Quid enim eſt in quo fieri fraus alicui poſſit faciliùs? quàm pauci veram ingenii laudem à falſa, rem à ſpecie diſtingunt? cum verò parta ſemel eſt, non facilè adimitur, tum quia retinetur avidiſſimè, tum quia ſuſpicionem vulgo præbent invidiæ aut pravæ æmulationis, qui eam alteri detractam volunt.

Addo etiam hâc arte una & laude ingenii cetera novitatis præſidia excitari & vigere. Ornandi ſunt muneribus, quinam? niſi ingenioſi? cohoneſtandi ſunt aliqui præmiis, pecuniâ, dignitate: certe viri præſtantis ingenii. Illi apud populum, illi apud Principes gratia & auctoritate florent: quorum autem virtus & probitas putatur extra periculum erroris eſſe poſita? nonne illorum, qui pollere creduntur ingenio? quinam alii denique plebis animos movent ac flectunt in omnem partem ſcriptis, concionibus, privatis colloquiis, & inflammant? ita enim comparatum eſt ut eos amemus quos magni facimus, deinde ut quos magni facimus, iis facilè fidem adhibeamus.

Videant igitur quantum in rempublicam, quantum in religionem peccent, qui hanc ingenii famam tuam facilè novitati deferunt. Si enim eos gravi obligatos crimine arbitramur, qui recentem doctrinam & partes periculi pleniſſimas vel tuentur armis, vel pecunia fulciunt, vel auctoritate muniunt, vel honore ac muneribus ornant, vel augent numero, vel corroborant impunitate, vel ſpecie ac fuco virtutis cohoneſtant; quo illos nomine appellandos cenſebimus, qui plus quidpiam ad eaſdem partes confirmandas & illuſtrandas afferunt? cum illis laudem & famam ingenii tribuunt.

Fridericum illum Saxoniæ Ducem, quo patrono atque auſpice Lutherus, buſtum Germaniæ, tantùm eſt auſus, vix appellari ferimus: Mahometem, qui ficto nomine pietatis homines tantùm fefellit; Ottomanos, qui ab eo prognati omni crudelitatis genere cultiſſimas quondam regiones miſerum in morem deformarunt, atque errori, avaritiæ, libidini vaſtandas, diripiendaſque tradiderunt, meritò deteſtamur: nos pejus aliquid iſtis ac terrius in otio atque umbra moliemur? neque ſolùm recentem doctrinam in pretio atque honore ponemus, ſed etiam antiquitatis cauſam & veritatis affligemus? Etenim fac defenſores tutioris & ſanioris doctrinæ jacere ſpoliatos ingenii fama, dum volitabunt alacres adverſarii,

quis eos audiet, quis fidem docentibus adhibebit? Scribent aliquid? pingue ſcilicet atque craſſo contextum ſtilo erit. Dicent ad populum? explodentur ut homines parum ſolertes & ingenioſi. Contendent cum adverſariis? quamlibet ſine causâ ſuperiores, ſemper tamen inferiores victique diſcedent.

Quod ſi hoc ratio ipſa non doceret; nonne ſatis exemplis tùm externis, tùm domeſticis erudiremur? Arianis quid cauſæ fuit cur fictam ab Ario fabulam ita mordicùs arriperent? quid Origeniſtis, Donatiſtis, omnibus ad unum peſtiferæ doctrinæ clientibus & alumnis, cur in magiſtrorum jurarent verba? preclara illa ſcilicet, quam animo conceperant de magiſtris, exiſtimatio, qui & ſuo aliquo ingenio magni, & diſcipulorum opinione multò majores erant? Penè ſe deceptum his artibus ab Euſebio Nicomedienſi queritur Conſtantinus Imperator, eâ, quam ad Nicomedienſes dedit epiſtolâ; ſeipſum atque alios quoſdam confitetur Epiphanius inductos fuiſſe ab Apollinario: à Vitale Apollinarii diſcipulo Gregorius Nazianzenus. Paulinum Vigilantius, Rufinus ac Pelagius apertè fefellerunt: adeo viris etiam ſanctiſſimis ac doctiſſimis eſt ab novatorum ingenio vel potiùs à præpoſtera quam ſibi clàm, palam, conciliant ingenii, ſapientiæ doctrinæque fama pertimeſcen-

dum! Libris impalleſcentem Neſtorium, ſedentem domi totos dies & hac opinione ſapientiæ populum ineſcantem Theodoretus depingit. Abaëlardi diſcipulos iiſdem coloribus Bernardus adumbravit, Angelorum lucem imitatos eſſe teterrimos tenebriones teſtatur.

Quod ſi prudentiſſimi homines & vigilantiſſimi plurimùm in iis fraudibus detegendis laborarunt; quid illis fiet, qui eorum prudentia & eruditione inſtructi non ſunt? Ne abeamus longiùs: nonne Franciſcus Primus Galliæ Rex fortiſſimus, poſt multa egregiè ad litterarum & Religionis decus præſidiumque conſtituta, hoc artificio penè victus eſt? Colebat viros ingenio & eruditione præſtantes, litterarum inſtaurator & patronus munificentiſſimus: audivit novos quoſdam homines è Calvini clam & Lutheri ſchola, florere litterarum & ingenii gloria: ſtatim evocat, præmiis ampliſſimis & muneribus ornat; præficit huic celeberrimæ Pariſienſi Academiæ, rectores & magiſtros, ac niſi eum viri ſapientiſſimi dedocuiſſent, & quænam eſſet hominum ejuſmodi ingenioſorum natio certiorem feciſſent, Religionem in Gallia, fidemque fortaſſe nullam haberemus. Numquam faciliùs novitas errorque ſuſcipitur, quàm ſi novitatis cauſam magni facias: ita facti quippe à natura ſumus ut in æſtimandis rebus non

tam noſtro judicio quàm eorum arbitrio ſtemus, quos habemus in honore & pretio.

Parum eſt quod aditum facilem ad amplectendas novitatis partes hæc ingenii fama lauſque aperiat hominibus; eoſdem in ſuſcepta doctrina novitatis ita confirmat, ut nihil ſit ægrius quàm eos ab illa revocare. Quem enim regreſſum, quam viam habeas ad meliorem ſententiam poſtliminio repetendam, cùm ſemel ab ea diſceſſeris, ſi animum induxeris eos qui ſunt in hac pejore cauſa & ſententia, præſtare ingenio, videre multò plus aliis & ſapere? Nam ceteris quidem, quorum oculos hæc ingenii opinio, celebritaſque novi dogmatis, ut maligna lux, non perſtrinxit, prona eſt faciliſque oratio, erravi, lapſus ſum; in fraudem, in errorem inductus; meliora jam ſequor & video. Sed quæro à vobis, num hac uti oratione poſſit qui novatorum ingeniis & ſapientiæ tantùm tribuit? erravi: non cadit in iſtos magiſtros error. Lapſus ſum? illis ſtantibus prolabi, qui cum illis & ab illis ſtet, nemo poteſt. Sequar meliora? nihil profectò melius eſt, quàm quod viri tales optimum eſſe judicarunt. Videtiſne ut præcidatur omnis ad meliorem ſententiam ac reditum via, ut in errore magis, magiſque confirmentur?

Eſt etiam aliud periculum, alia labes hujus perverſæ famæ graviſſima, quod no-

vatorum arrogantiam & pertinaciam mirum in modum foveat, erigat animos, inſolentiam provehat. Habet hoc novitas doctrinæ, ut incredibilem arrogantiam pariat, cum ceterorum contemptu contumeliaque conjunctam. Illius Architectos conſule, ſolos ſe putant, ſi obſcuriſſimi ſint, clariſſimos & ornatiſſimos; ſi ſint imperitiſſimi, ceterorum doctores & magiſtros: ipſorum judicio ceteri vix homines ſunt. Quid ſi ad hanc illorum ſententiam aſcribas tuam? quos illis ſpiritus, quos animos afferes? ut inſoleſcent? ut ſe jactabunt? ut in cœlo erunt? jam flagrant importuna cupiditate gloriæ, quid ſubjicis faces? quid oleum incendio ſubminiſtras?

Erat Aëtius opifex humili & obſcuro loco natus, è fabro derepente doctor ac Theologus evaſit, ſuorumque plauſu evectus, eò etiam evolavit ut Arium, cui ſe primò dediderat, contemnens, novam ipſe ſectam fabricatus ſit. Aëtio navabat operam in ſcribendo Eunomius; è ſcriba, factus novi agminis dux, Eunomianos procreavit; mox homo ſacrum litterarum planè rudis, adjecit animum ad ſcribendum, edidit commentarios in ſacras litteras, nihil erat inſulſius; eos tamen ita prædicabant Eunomiani, teſte Nicephoro, ſic ſpargebant in vulgus, & venditabant infauſtas merces, ut ille ſe mirificum interpretem & è cœlo ipſo

delapſum ratus, in unam Pauli Epiſtolam ſeptem omninò volumina ſcriberet, quæ Socrates ineptè ſcripta, & inaniſſimæ loquacitatis fuiſſe plena confirmat. Erat in Africa ludimagiſter Creſconius, vix Grammaticæ ſatis gnarus: cum exagitaſſet Auguſtinus luculento ſcripto Petilianum Donatiſtam, quid reſponderent Auguſtino Donatiſtæ, quem illi opponerent, non habebant: Creſconium adeunt, multa laude hominem perurgent, ut in Auguſtinum ſcribat: quid multa perſuadent. Tantumne audaciæ? eò ſuperbum homuncionem oblata laus ingenii & eloquentiæ perduxit.

Nemo commentitium novitatis idolum colat, ſua ſponte corruet. Sin verò fictis etiam ingenii & ſapientiæ ornamentis decoretur, quis illi thus adolere dubitabit? Nihil eſt imperitius vulgo, nihil inconſulta multitudine levius, id ferè ſequitur quod ab ingenioſis proponi, ab eruditis probari videt: quid igitur ſi animadvertat cives imbutos ſacris litteris & profanis, adoleſcentes magna ſpe ingenii & indolis præditos, amplecti novas doctrinæ larvas, in iis ornandis ac tuendis laudem ingenii ponere, nonne præclarum ſibi eſſe cenſebit, iis ducibus inſtituta vetera contemnere, reſcindere, quod fuerit ſancitum à majoribus, & à novis opinionibus ad res novas in imperio ciendas, ad ſeditiones, ab bella, proſiliet.

Teſtis tu mihi Gallia, patria cariſſima, cùm exorto funeſto illo & exitiali, patrum memoriâ, bello pænè concidiſti. Quis non ingemuit, quis non arſit dolore, cùm dejicerentur templa, altaria comminuerentur, ſacerdotes ante ſuas aras mactarentur? cum audacia, vis, furor, jura omnia divina & humana violarent? Scio tum vim fuiſſe, ſcio dominandi præpoſteram libidinem, ſcio clariſſimarum diſſidia familiarum, ſed plebem tamen magna ex parte inductam & deceptam ſcio. Oblatum ab eruditis errorem, obtruſum ab ingenioſis, inculcatum à novitatis magiſtris hauſit & expreſſit, ac certis in locis adhuc etiam retinere, quamvis ægrè ac miſere, laborat.

Et eſſe quoſdam præterea in ipſis Catholicorum hominum rectéque ſentientium partibus adeo ſui, adeo patriæ & Religionis oblitos, ut hoc malo domeſtico & graviſſimo non admoneantur, quàm ſit periculoſum doctrinæ novitatem, quaſi armare fama ingenii! qui ſepultum errorem in priſtinum decus ac lucem referre geſtiant? Quid ſi conſtaret novatores homines eſſe ingenio, diligentia, eruditione, ceterorum omnium qui ſunt aut fuerunt unquam principes, tamenne illos prædicari, tamen-ne celebrari oporteret? non potius deprimi, non tenebris ac ſilentio illorum nomen, ſcripta, lucubrationes obrui? non evelli penitus ex ho-

minum memoria, ſi fieri poſſet, ne quod veſtigium extaret inſidioſæ novitatis? Nunc autem cùm partes iſtas non tam plenas ingenii conſtet eſſe quàm artificii, non tam eruditionis quàm ſimulationis, non tam magnorum hominum, quàm arrogantium; quis non videt, quam præpoſterè faciant, qui ſe illorum patronos præconeſque profitentur?

Vos verò, AUDITORES ILLUSTRISSIMI, videte diligenter non modò ne vos hominum iſtorum aſtuta natio inducat in fraudem, & avitam vobis poſſeſſionem eripiat, quod mihi facilè à veſtra prudentia & eximia pietate polliceor, verùm etiam alii ne in hunc errorem pertrahantur, proſpicite; dedocete illos, ita qui ſentiunt, quàm vehementer fallantur, quàm periculosè faciant, oſtendite. Comprimite præterea, cum res feret, novitatis amatorum arrogantiam & ingenii eruditioniſque laudem, quam tuendâ vetuſtatis causâ conſecuti eſtis, illis etiam coarguendis ac refellendis, cumulate. Nemo partes illorum ingenii gloriâ florere facilè credet, qui vos in contrariis partibus ac ſententia ſtare cognoverit.

DIXI.

AD PANEGYRICUM
ECCLESIÆ PARISIENSIS
EPISTOLA DEDICATORIA
ILLUSTRISSIMO
ECCLESIÆ PRINCIPI
FRANCISCO
HARLÆO,
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI,
DUCI ET PARI FRANCIÆ.
Regii Torquatorum Equitum Ordinis Commendatori, Sorbonæ, Navarræ & Marchiæ Proviſori.

REM *tibi tuam offero, cum Pariſienſis Eccleſiæ Panegyricum offero*, ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME. *Tuus ille eſt, quia laudes ejus Eccleſiæ continet, cujus non modò Princeps & caput es; verùm etiam cui tantum decus conciliaſti, quantum ab nullo fuerat hactenus Antiſtite Pariſienſi*

conſecuta. Tuus eſt, quia de clariſſimis ejuſdem Eccleſiæ Sacerdotibus & ampliſſimo collegio Canonicorum agit, quos ita foves ac tueris, ita tibi devinctos conſtantiſſimæ concordiæ vinculis atque addictos habes, ut ambigi meritò poſſit, utrùm illis tu ſis carior, an illi tibi. Accedit quod Religionis commendationem continet, in qua ornanda & amplificanda tam utilem Eccleſiæ ac toti regno, tam jucundam LUDOVICO MAGNO, *tam glorioſam tibi operam navas. Complectitur etiam Regis Chriſtianiſſimi & Maximi laudes, quibus nihil eſſe tibi poteſt acceptius. Adderem, complecti quoque tuas, niſi eas tibi minimè placuiſſe ſignificaſſes, quæ frequentiſſimæ concioni vel maximè placuerunt. Denique debetur tibi vel eo nomine, quod ipſum petiiſti dari tibi, ac porrò juſſiſti; quod aures eidem, cùm pronunciaretur, tam commodas, pro tua ſingulari humanitate præbuiſti; quod ne penitus diſpliceret, judicio tuo & exiſtimatione, quæ tanti ponderis eſt, potiſſimum effeciſti. Patere igitur ut tuum tibi reddam,* ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *ac ſi quid eſt in illo etiam meum, quod ſentio quàm ſit exiguum, eatenus meum eſſe velim, ac prædicem, ut ſit perenne mei erga te obſequii; erga tuam illuſtriſſimam Eccleſiam venerationis & obſervantiæ, monumentum.*

PANEGYRICUS ECCLESIÆ PARISIENSIS,

Dictus Pariſiis III. Idus Decembris Anno MDC. LXXXVI.

Feliciter admodum & opportunè contigit, Illustrissime Ecclesiæ Princeps, ut cùm ego ad ſolennem Scholarum noſtrarum inſtaurationem, laudare Pariſienſem Eccleſiam ex hoc loco meditarer, Ludovicus Magnus hæreſim tot jam annos hærentem in hujus Chriſtianiſſimi regni ſinu, & urbes ac familias crudeli diſſidio dividentem, Superis hominibuſque plaudentibus tandem aliquando profligaret.

Divinum profectò & immortale Regis Maximi facinus, Auditores, tentatum antea nequidquam ab auguſtis ejus deceſſoribus, ab omnibus populis fruſtra tamdiu

flagitatum, huic uni reſervatum, unum ceteris ejus triumphis clariſſimis anteponendum; quod ſuſpiciat vix habitura fidem poſteritas, quod conſequentium ſæculorum memoria, laus, veneratio complectatur.

Sed facinus tamen ab eo, quod aggredior nunc, argumento, nullatenus, ut videbitis, alienum: imò verò ita huic tempori, & regiæ pietati accommodatum, ut eo vehementer fuerim in inſtituto laudandæ Pariſienſis Eccleſiæ conſilio confirmatus.

Hæc illa ſcilicet Eccleſia eſt, in qua nata primùm & fundata fuit ea Galliarum fides, ad quam pietate Regis & clementia invitati omnes, quos malus error abduxerat, conſpirantibus animis ſtudiiſque convolant: eadem fides ab Eccleſia Pariſienſi ad reliquas hujus imperii ac plurimas orbis terrarum provincias propagata fluxit: hanc Pariſienſis Eccleſiæ Præſules Dionyſii, Marcelli, Germani, majoribus noſtris tradiderunt: hanc Pariſienſis Eccleſiæ Sacerdotes pietate, doctrina, periculis ſuis & laboribus illuſtrarunt.

Denique Pariſienſis Eccleſiæ mater eſt ac Patrona Virgo Dei Mater, quæ cùm hæreſum omnium expultrix meritò prædicetur, ejus certè auſpiciis ac patrocinio recentem hanc hæreſeos exterminatæ palmam acceptam referre poſſumus, ſi ſumus Catholici, ac debemus. Neque verò aliter Ludovicus

MAGNUS ipſe ſentit, qui cùm eidem ſe Virgini addictiſſimum eſſe palam profiteatur, ſacram illius ædem inſigni aliquo ad ſignificationem grati ac memoris animi monumento exornare nuper ſtatuit, ac majorem aram Baſilicæ Marianæ à fundamentis regio ſumptu & munificentia excitare: ut quo in loco ſpectarentur tot Franciæ Regum anathemata, tot vexilla noſtrorum triumphorum teſtes, tot veſtigia Gallicæ pietatis, in eodem ſui erga Pariſienſem Eccleſiam ac patronam ejus Deiparam ſtudii monumentum conſecratum publico ad immortalitatem opere, legeretur.

Liceat igitur nobis, AUDITORES, dum extinctam & ſepultam hæreſim abundè loquuntur ac prædicant muta profanorum templorum rudera, ſacrarum ædium vindicata ſanctitas, legum auctoritas contra licentiam extortæ quondam libertatis aſſerta, ſancita majeſtas Regum ac dominatio, magiſtri peregrinæ Religionis exauctorati, læti ac geſtientes civium oculi, ſenſus, animi certatim ad *Deum Patrum ſuorum*, & avita ſacra redeuntium: liceat, inquam, nobis admirationi ac ſacro etiam, ſi vultis, ſilentio indulgere: liceat quaſi præſtrictis ad tantam lucem, ad præclari facinoris ſplendorem oculis, hærere defixos & obſtupeſcere: liceat vota ſuperis omnibus pro fortiſſimi, ſapientiſſimi, Chriſtianiſſimi Principis incolu-

mitate facere: liceat aliis dicendi magiſtris, ſi qui ſunt fortaſſe audaciores, in eo campo excurrere: ego interim eorum conatum, eloquentiam, ſtudium, uti debeo, laudabo, at in ſuſcepto tamen dicendi argumento conſiſtam; neque minùs illis ad prædicandam LUDOVICI MAGNI & Religionis ejus beneficio conſtitutæ gloriam præſtitiſſe me arbitrabor, ſi Pariſienſis Eccleſiæ majeſtatem vobis ob oculos hodie poſuero, eique debitas orationе mea laudes impertiar, unde felicitatis noſtræ ac fidei primùm orta lux eſt: quæ tot ſtrenuos in extirpandis hæreſibus, in amplificanda Religione Sacerdotes huic regno atque urbi dedit; quam ſummi Pontifices honorificentiſſimis verbis tam ſæpè laudaverunt, & *eximiis*, ut Bonifacius VIII. diſertè ſcribit, *inter ceteras orbis Eccleſias beneficiis proſecuti ſunt*, quam Chriſtianiſſimi * Reges *inter Eccleſias regni eminentem & ceteris cariorem habuerunt:* cujus ſe *filios, cives, paræcianos* (ita enim Ludovicus Junior, Philippus Pulcher, Franciſcus Primus loquuntur) profeſſi ſunt. Mihi verò arduum non erit ac operoſum, quam his laudibus ac beneficiis digniſſima Pariſienſis Eccleſia ſemper fuerit, oſtendere.

Sic enim ſtatuo, in Eccleſia qualibet, ut in iis, è quibus conſtat, Sacerdotibus ineſſe

* *Ludovic. VII.*

ac ſpectari primùm pietatem oportere,deinde eruditionem, denique occupationem & materiam illuſtrem aliquam,in qua ejus elucere tum pietas,tum doctrina poſſit. Pietatem tolle,facis profanum ſacerdotem:tolle eruditionem,ejus pietatem ſuperſtitioſam facis aut pernicioſam : tolle navandæ aliis operæ locum, ſegnem illum & otioſum reddis. Facit pietas ut prodeſſe aliis velit,eruditio,ut prodeſſe faciliùs tutiùſque poſſit; labor & occupatio, ut reipſa proſit.

Sed eas fortaſſe dotes in aliquo uno reperire ſit; in multis, vix ac ne vix quidem. Quo illuſtrior eſt Eccleſia Pariſienſis,quam his tribus dotibus ſemper floruiſſe, ac ſanctiſſimis, doctiſſimis,& rei tum Chriſtianæ, tum Gallicæ utiliſſimis Sacerdotibus abundaſſe demonſtrabo. Pietas, quia prima omnium eſt, primùm orationis caput; eruditio alterum; navata Eccleſiæ univerſæ & huic regno toti opera, poſtremum (favete linguis, oro vos, & animis) obtinebit.

Ac primò quidem, quod pietatem ſpectat, ea tam propria virorum Deo ſacrorum eſt, ut videatur cum eorum officio, & inſtituto vitæ, cum veſte ipſa & nomine conjuncta. Hoc illud vectigal eſt Deo ac reipublicæ ſolvendum ab ſacerdotibus, qui vacationem ab omni publico munere & vectigali ſolvendo, legibus divinis conceſſam & humanis idcircò habent, ut in ſanctioris vitæ munia dili-

gentiùs incumbant. Quales, amabo, eſſe illos decet, quanta ſanctitate præditos, qui Numinis actores, interpretes & internuncii ſint; rerum divinarum adminiſtri & diſpenſatores, ut Paulus loquitur; dii quidam terreſtres, & aſpectabiles, ut Clemens Alexandrinus appellabat? Ubi autem illuſtrior aliquando pietas, quàm in omnibus Pariſienſis Eccleſiæ partibus fuit? Ubi dotes illæ, quæ Sacerdotum pietatem præcipuè commendant, clariùs eluxerunt? Publica fuit ad exemplum, conſtans ad diuturnitatem, fortis ad impietatem debellandam.

Publicam fuiſſe dico, & ad exemplum domi foriſque propoſitam. Teſtis illa præclara gentium omnium, etiam alieniſſimarum, opinio de Pariſienſis Eccleſiæ ſanctitate, Fortunati Pictavienſis erudito carmine celebrata: quæ fama jam inde ab hujus imperii primordiis animos hominum ita pervaſerat, ut è vicinis æquè ac remotiſſimis oris pueri nobiles ad Eccleſiam Pariſienſem pietate ac moribus optimis imbuendi mitterentur. Ex eo fuere numero tot viri clariſſimi ac ſanctiſſimi cœlitum adſcripti faſtis, quos enumerare longum ſit, Pontificum nepotes, Regum filii. Teſtis illa incredibilis ſummorum Pontificum, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum multitudo, qui è Collegio Canonicorum, ut ex ampliſſima virtutum omnium ſchola, pro-

dierunt ad moderandas orbis Chriſtiani habenas, ad fulciendas Catholicas opes, ad ornandam rebus præclarè geſtis Eccleſiam: dies me deficiat, ſi appellare ſingulos velim, Gregorium IX. Adrianum V. Bonifacium VIII. Innocentium VI. Gregorium XI. quos omnes Canonicos Eccleſiæ Pariſienſis fuiſſe liquet. Cardinales amplius triginta ex eodem cœtu in Eccleſiæ ſenatum lectos, atque inter illos tot lumina Religionis, tot Romanæ purpuræ ſidera, Curſonios, Langtonos, Aldobrandinos, Cajetanos, Neapoleones, Alliacos, Petrum illum Luxemburgium, cujus ſanctitatem Deus miraculis maximis teſtatam eſſe orbi voluit. Archiepiſcopos triginta-duo, Epiſcopos centum quadraginta, omnes alumnos Eccleſiæ Pariſienſis, quos (ut Bonifacius VIII. in ſuis quibuſdam literis de ſe ipſe profitetur)* *gremio complexa fovit, maternis pavit uberibus, reſperſit gratiis, muneribus honoravit.* Teſtis denique egregia divinorum hominum cohors, Dominici, Bernardi, Brunones, Nolaſci, Mathæ, Valeſii, Ignatii, Saleſii, Berulli, Vincentii, qui cum religioſas familias quarum lectiſſimos præſides, magnam partem, hic aſpicio; qui cum religioſas, inquam, familias conderent, earum ab Eccleſia Pariſienſi, ad quam aliis alii tem-

* *Ex Epiſt. Bonifacii VIII. ad Canonicos Pariſienſes, ann.* 1296.

poribus convenere, formam quandam, cul-tum & pietatem expreſſerunt. Amplius di-co, neque tamen minùs verè quàm magnifi-cè & ſplendidè, cogitate Carolum Martel-lum, Pipinum, Carolum Magnum, tot Reges tot Principes, illos vindices Romanæ liberta-tis, cuſtodes dignitatis Pontificiæ, ſubſidia Eccleſiæ laborantis, repreſſores ejus hoſ-tium, defenſores honoris & ſalutis. Cogi-tate fidem Catholicam Angliæ invectam, Arianam labem in Italia, Germania & Hiſ-pania repreſſam & extinctam per felices nu-ptias & pietatem fœminarum Principum è Regio Gallorum ſanguine ductarum. Co-gitate Hieroſolymam Fracorum armis re-ceptam, Orientem luſtratum victoriis. Nonne tot rerum tam præclarè geſtarum partem longè maximam Eccleſia Pariſien-ſis, illa Regum noſtrorum, ut Carolus Sapiens teſtatur, * *mater ac domina*, vin-dicare ſibi jure poteſt? Nonne meritò li-cebit nobis Pariſinos Præſules & Sacerdo-tes illis additos, tanquam auctores, hortato-res, & adjutores tot bonorum, triumphorum-que venerati? Hæc omnia illorum ſata conſi-liis, rigata curis, exemplis educata ſunt.

Quanquam quid longinqua conſectamur, qui propiora præ oculis habeamus Luſtrate animis Pariſinam urbem; quid-quid in ea pietatis, quidquid religio-

* Carol. V. in litteris datis anno 1367.

nis ac ſanctitatis eſt, ab eodem fonte ductum, iiſdem radicibus ac fundamentis nixum eſſe reperietis. Ecquid admiramini tot Parochorum vigilantiam & ſollicitudinem in grege paſcendo, ſanctimoniam & gravitatem, concordiam cum ſuo capite & conſenſionem admirabilem; Sacerdotum ceterorum modeſtiam, mores, cultum, numerum: hîc domos iis formandis & erudiendis attributas, illic eorumdem conventus ad Eccleſiaſticam diſciplinam perdiſcendam frequentes: ubique templorum nitorem, divinæ rei faciendæ curam, ſacramentorum ritè ac piè uſurpandorum conſuetudinem: his omnibus præivit Eccleſia Divæ Mariæ; * hanc imitatæ, ab ea inſtitutæ ceteræ urbis Eccleſiæ, matrem imperio & exemplo provocantem non degeneres aquilæ ſecutæ ſunt. Sic unius Pariſienſis Eccleſiæ lux orbem totum illuſtravit: ſic ejus pietas fuit inſtar *civitatis illius ſupra montem poſitæ*, ad quàm homines ex orbe toto confluerent, unde in omnes porrò terrarum tractus, quaſi plenis portis Chriſtianorum heroum agmina funderentur.

Sed quam fuit eadem conſtans ad diuturnitatem! Non eam diſciplinæ rigor quidam & auſteritas inflexit; non longa dies, inimica rebus optimè conſtitutis, immi-

* Vide Symbola Heroïca ad calcem in Templi Apparatu. *Matth. iv.*

nuit; non ipſa rerum humanarum fatalis conditio, ut non ſint admodum diuturnæ, labefactavit, non varietas temporum nunc bellis atrox, nunc deſidia mollis, nunc ſcelerum turbinibus ac procellis horrida profligavit ac perculit. Quid glorioſius? dum aliorum quorumdam conſtantiam interdum requirimus, dum illorum in priſtina ſeveritate laxanda vel miſeramur indulgentiam, vel imbecillitatem accuſamus: miramur iſtos interim in iiſdem inſtitutis hærere acriter, ab iis ne latum quidem unguem, à tot jam ſæculis, diſcedere; non minùs diurnis precibus recitandis inſiſtere, quæ tanta civium frequentia celebrantur non ſine ſuaviſſimo ſenſu pietatis & ſanctiſſimarum cæremoniarum veneratione, quarum in æde D. Mariæ videtur eſſe domicilium conſtitutum; quam nocturnis, ad quas intempeſta etiam hyeme obeundas conſtantiſſima vigilantia de media nocte convenire pulchrum illis ac ſolemne ſemper fuit. Videre mihi videor ſolem illum quem hic pictum cernitis, nunquam ſibi diſſimilem; affixam polo ſtellam quæ nunquam occidit: vel potiùs beatas illas mentes, quales a Propheta deſcribuntur, * æterno ſatellitio, diurnis nocturniſque vigiliis ad Numinis ſolium excubantes,

* Iſai VI.

Sed ſacerdotalis tamen pietas intra parietes continere ſe non debet ; erumpat ex umbraculis oportet ad impietatem debellandam , & in aciem campumque prodeat. Hic enimvero rerum dicendarum numero & magnitudine obruor, Auditores, neque ſatis initio proſpiciebam quantum oneris in me ſuſciperem , qui res ſummorum virorum præclarè geſtas per annos plus mille , cogar hodie in horæ unius anguſtias includere.

Itaque non prædicabo , quantum laboris adierit Dionyſius ille hujus Eccleſiæ parens, & auctor ſecundùm Deum ſalutis noſtræ ; quantum operæ pretium fecerit in mitigandis majorum noſtrorum feris adhuc & obligatis impia religione animis ; quas difficultates pertulerint , quot ærumnas hauſerint illius ſocii duodecim , qui ab eodem in Belgicam ſecundam hinc miſſi , eam antè ſubdidere Chriſto, quàm victricibus Francorum armis parêre cogeretur.

Utinam verò ſatis mihi eſſet vel facultatis ad dicendum , vel temporis , ut illos , qui Pariſienſem Eccleſiam poſt Dionyſium gubernarunt, appellare ſingillatim poſſem , Marcellos , Germanos , Landericos , Cetannios , Agilbertos , Hugones, omnes Pariſinos Præſules , omnes Sanctorum numero adſcriptos: tot alios etſi obſcuriore fama, non minori tamen pietate præditos , qui

cum eſſent in eodem gradu poſiti, clariſſimos hic in Gallia, & aliis paſſim in locis triumphos de impietate retulerunt!

Quàm pulchra ſpecies, quàm illuſtris illa foret! cùm Religionem lauro coronatam in curru collocarem: cùm ſuperſtitionem, idololatriam, profanos ritus, ceteraſque id genus peſtes aut centum conſtrictas vinculis, & currum ſequi coactas; aut jacentes humi attritaſque rotis oſtenderem: cùm onuſta ſpoliis hoſtium fercula, laureatos in Præſulum ſuorum triumpho populos oventeſque deducerem? cùm ſanctiſſimos Antiſtites videretis in conciliis ampliùs quadraginta (totidem enim hac in urbe celebrata memorantur) bellum hæreſi, flagitiis, improbitati, lapſis in deteriora moribus indicere: cùm diſciplinam per eos legum ſeveritate ſancitam, conſtitutam veterem Eccleſiæ dignitatem, emendata, ſi quæ obrepſerant temporum labe vitia, exponerem. Appingerem Davidis illam turrim, de qua ſacræ paginæ meminerunt, & quam hic adumbratam cernitis:* *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Téne verò, Germane Pariſienſis Antiſtes ſanctiſſime, cujus expreſſam hîc imaginem exſtare uſpiam juſſi; téne ſic in turbam conjectum fuiſſe, quem eximia virtus ab aliis meritò ſecernere debuit? virum divi-

* Cant. IV.

nitus

nitus huic imperio donatum, qui Fredegundes, & alia Galliæ nondum confirmatæ & adultæ monſtra partim lenitate mitigares, partim incredibili, quo ſeptus ac munitus eras, animi robore contunderes: dignum, cui Chilpericus ipſe noſter elogium funebre ſcriberet, quem Paſtorem gregis & amorem, Eccleſiæ ſpeculum, reorum aram appellaret.

Adderem Germano ſodales illuſtriſſimos, hæredes non minùs pietatis, quàm dignitatis: Mauritium illum, à quo inſtaurata eſt Mariana Baſilica, & pæne abſoluta: Odonem Sulliacum Philippi Auguſti, & Henrici Secundi Angliæ Regis affinem, qui ſapientiſſimas Clero Pariſienſi leges deſcripſit: Petrum Nemoroſium non tam ſuo nomine, quàm fortitudine & pietate nobilem, qui poſt vexatam damnatamque Amalrici Carnotenſis hæreſim, hoſtes ipſe, de quibus triumpharet, longiùs quærens, hortante Honorio Tertio, Philippo Auguſto annuente, à patriæ & Eccleſiæ amantiſſimæ complexu ſe abſtraxit, & ſacrum ad bellum profectus eſt, ut fidem Catholicam non verbis tantùm, ut anteceſſores ſui, ſed vita etiam & ſanguine defenderet.

Adjungerem Æneam illum celeberrimum, unum è Gotheſchalci judicibus apud Cariſiacum ejuſdem apud Senonas oppugnatorem acerrimum. Non omitterem...

Sed quò me tot virorum fortium atque excellentium conſpectus, quò numerus oblitum modi ac temporis abripit! Et erit fortaſſe opportunior de illis dicendi poſtrema in oratione locus. Parcite interim, ſanctiſſimi fortiſſimorum Sacerdotum manes, ſi vos magnam partem indictos relinquo: illud me reficit quod in iis, quos intueor, gloriosè reviviſcitis, qui cum veſtras ſedes locum ampliſſimæ dignitatis obtinent, pietatem quoque veſtram æmulantur; nec pietatem tantùm, ſed etiam eruditionem, de qua laude mihi nunc eſt altera parte orationis diſſerendum.

Ita comparata debet eſſe virorum ſacrorum pietas, ut ſit inſigni quadam eruditione condîta: cæca eſt, niſi facem illi doctrina præferat; labitur in multis ac fœdè corruit, niſi ſcientiâ fulciatur. Neque fuit illud à viris ſapientiſſimis injuria dubitatum, Sacerdos improbus an eſſet ignaro & imperito deterior. Ille videt ſaltem quid à ſe, quid ab aliis peccetur, atque adeo corrigendi ſpem non adimit; hic præ inſcitia cùm nihil videat, emendandi locum non relinquit: ille virus afflat animis; at hic tenebras mentibus offundit: ille faciendo ſceleratè, nocet hominibus, hic docendo pravè; & quia multò faciliùs deprehenditur offenditque homines vitæ vitium, quàm doctrinæ; idcircò hujus ignorantia, quàm

illius improbitas, peſtem longè occultiorem, ac proinde præſentiorem importat.

Gratias verò Superis immortales, quòd hujus urbis Eccleſiam principem, doctrinæ laude non minùs quàm ſanctitatis gloria florere voluerint. Nam ſive antiquitatem eruditionis, ſive præſtantiam & integritatem ſpectemus, ita reperiemus vix ullam eſſe in Gallia, aut etiam in orbe Chriſtiano Eccleſiam, quæ certare cum Pariſina poſſit.

Si nobilitas antiquitate potiſſimum continetur, ac rebus per ſe jam caris *pretium*, ut hic legitur, *facit ipſa vetuſtas*: an non inſtituta fuit à ſancto Germano & ab aliis etiam ante Germanum Epiſcopis in hac urbe, in Eccleſiæ ſeptis, Academia litterarum? Nonne apertum eruditionis tum ſacræ, tum profanæ lyceum, quod ſubinde actum à conſecutis Præſulibus & ornatum, ab Carolo Magno regia liberalitate & magnificentia perfectum, & in varias ſcholas, quod unius Eccleſiæ ſepta erant anguſtiora, diviſum eſt? *Ex hoc fonte derivati ſunt ad univerſi mundi climata ſapientiæ rivuli*, ut Petrus Cardinalis ſcribit ad Pariſienſes Canonicos: in hoc Parnaſſo & Studio, ut vocabant, Pariſienſi litteras vel docuit vel didicit quantùm fuit Europa ferme totâ virorum eruditione præſtantium: hinc Lutetia *ſcientiarum parens* à Gregorio IX. & *litterarum civitas appellatur*.

Olim Theologia magiſtra illa Catholicæ veritatis, ſacræ Scripturæ interpres, arcanorum dogmatum cuſtos, jacebat incompta & horrida, neque, ut nunc fit, ratione & via docebatur. Inventus demum eſt ante annos admodum quingentos vir excellentis ingenii, infinitæ lectionis, indefeſſi ſtudii, qui lucem afferret obſcuris quæſtionibus, ordinem diſſipatis induceret. Agnoſcitis eum taciti qui nondum eſt à me appellatus; occurrit vobis Pariſinus Antiſtes Petrus Lombardus, quem honoris causâ Magiſtrum Theologi nominarunt: de quo tantùm hoc dicam, illum ſanctis Thomæ, Bonaventuræ, ac ceteris qui poſtea prodiere, Theologis præluxiſſe, illis viam, quam ingrederentur, aperuiſſe; inveniſſe primum, quæ ab aliis illuſtrarentur. Quàm multos in unum Lombardi volumen editos à ſummis Doctoribus commentarios putatis? amplius trecenti numerantur. Dum ſuus Theologiæ manebit honor, (manebit autem, dum ſtabit Eccleſia, religio, veritas, fides) tamdiu Lombardi nomen vivet, tamdiu ejus eruditionem laudabunt proſeminatæ per Chriſtianum orbem Theologorum ſcholæ; dicent inventæ illæ ad acuenda ingenia, firmandam fidem, eruendam veritatem diſputationes; dicent hoſtes Religionis, & novarum opiniorum artifices, toties illis armis, quæ petuntur è Schola, debellati.

Quanta autem eſſet ipſe, dum adhuc viveret, eruditionis fama, inde colligite. Cum Philippus LUDOVICI VI. filius, Septimi frater, Pariſienſis Eccleſiæ Archidiaconus ad ejuſdem Eccleſiæ gubernaculum vocaretur, dignitatem ſibi oblatam Petro Lombardo, quo magiſtro quondam erat uſus, detulit, profeſſus palam, honorem hunc, ſi digniori deferendus eſſet, alii nulli quam Lombardo eſſe tribuendum.

Quid quod eos gradus in quos Academia deſcribitur, & quibus vel contra deſidiam alumnorum, vel contra potentiorum opes gratiamque munitur, idem Lombardus excogitaſſe fertur: idque ſigni eſt, quod academica lege cautum ſit, ut quicumque Pariſiis Doctoris nomen & inſigne ſumunt, ad ejus tumulum, qui in æde ſuburbana S. Marcelli viſitur, adeant, ibi piæ precationis tributum quoddam pendant, indidemque dignos Magiſtro, dignos Academia ſpiritus hauriant.

Jam ego vos teſtor, AUDITORES, quid præclarius ad ejus, quam nunc celebramus, Eccleſiæ commendationem dici poteſt? Illa Pariſienſis Academia, quam contemptis propè ceteris Galliæ & Lutetiæ miraculis, Reges noſtri, Carolo IV. Sigiſmundo & Carolo V. Imperatoribus, Angliæ & Hiſpaniæ Regibus, cum olim iter Lutetia facerent, oſtentarunt; quam

unicè ſibi dilectam, cariſſimamque primogenitam appellarunt; qua nullum fidei catholicæ propugnaculum certius, nullum ejus hoſtibus infenſiſſimis terribilius eſſe Pontifices maximi prædicarunt? Hæc, inquam, ſi nobiliſſimam ſuam antiquitatem jure laudat, ſi ſe reliquis meritò Academiis anteponit, hoc totum Eccleſiæ Pariſienſi acceptum referat neceſſe eſt, a qua non modò lucem & originem, gradus ſuos Doctoreſque maximos, ſed etiam docendi facultatem habet. A quo enim publicè docendi licentiam, ut vocant, accipiunt, etiamnum ii qui Doctores & Magiſtri renunciantur? ab Cancellario inſignis Eccleſiæ Pariſienſis, qui Academiæ idem Cancellarius eſt. Quas tangunt aras Doctores, cum in concepta pro more verba jurant? D. Mariæ Pariſienſis: nimirum ut eò referantur omnia, unde profecta primùm ſunt, & ſuum fontem ab eo derivata flumina venerentur.

Quo loco nefas arbitror Sorbonam prætererire, clariſſimum Academiæ Pariſienſis oculum, domicilium ſacræ ſcientiæ: arcem Religionis. Tu in ſinu Eccleſiæ Pariſinæ nata, tu a Roberto illo Sorbona Canonico Pariſienſi fundata, illuſtrata, & ornata poſtmodum ab eruditis Epiſcopis, demum inſigne quoddam decus nuper accepiſti ab illuſtriſſimo Archiepiſcopo, quem communi Doctorum omnium, è quibus

conſtas, ſuffragio Proviſorem tibi adoptaſti; ut quæ à Pariſinis Præſulibus edita in lucem & amplificata fueras, ab eorum uno gloriæ cumulum & abſolutionem acciperes.

Ego verò ſatis ex iis que hactenus dixi, videor oſtendiſſe, quam excellens Eccleſiæ Pariſienſis doctrina ſemper fuerit, quæ dos ejuſdem doctrinæ altera fuerat à me propoſita: è rivis enim promptum eſt de fonte ipſo judicare. Quid? hoc ipſum nonne ſatis declarant tot Antiſtites Pariſini, quorum eruditionis fama litteris prodita eſt ad memoriam poſteritatis ſempiternam? Guillelmus Arvernus, in quo neſcias majorne ſit ingenii vis, an ubertas doctrinæ, Philoſophuſne præſtantior, quàm Theologus fuerit. Æneas, de quo jam dixi, Carolo Calvo litterarum patrono munificentiſſimo cariſſimus, à ſummis Pontificibus unus omnium ea tempeſtate delectus, qui contra Græcorum errores ſcriberet.

An Bellaios dicam, an Gondios? an Petrum de Marca hominem unum ſacræ antiquitatis & juris Pontificii Gallicique ſcientiſſimum? Harduinum Pereſixium Ludovici XIV. ſapientiſſimi Regis præceptorem ſapientiſſimum? An hunc potiùs quem præſentem læti veneramur Franciſcum Harlæum, in quo felicis ingenii mirifica indoles ita fuit exculta præclaris tum humaniorum, tum ſeveriorum litterarum ſtudiis, ut

in utriſque facilè primas ferat: qui ſic implicatiſſimos Theologorum nodos ſolvere & explicare conſuevit, quod maximè in celeberrimis illis diſſertationibus patuit, ut aliud agentis ſpeciem præbeat; ſic de omni re, quæcumque ſe offerat, eleganter, accuratè, copioſè dicit, ut perdiu meditatum eſſe credas, idemque rurſus ex tempore ſic verba lectiſſima graviſſimaſque ſententias fundit, ut ejus oratio non facta, ſed nata; non quæſita, ſed inventa, recitata de ſcripto, non ex uberrimo locupletis ingenii ac doctrinæ penu deprompta videatur.

An deinde Canonicos appellabo? quos? an ereptos terris, ſuiſque jam temporibus defunctos? Paulum Æmilium qui res Gallicas tam eruditè litteris mandavit? Joannem illum Carlerium (Gerſonem vulgò à patria nuncupatum) Cancellarium Pariſienſis Eccleſiæ longè doctiſſimum & ſanctiſſimum? alios pænè innumerabiles, quorum doctrina eruditis eſt notior, quàm ut oratoris voce ac laudibus indigeat? An ſuperſtites, & eos qui nunc in oculis, in ore omnium ſunt, nominabo? Mihi verò nihil eſſet optatius quàm ſingulos, honoris cauſâ, nominatim hîc recenſere: ſed vereor ne oratio mea, ſi minus de aliquo dixerim, ingrata; ſi ſatis de omnibus, infinita ſit. Veritas igitur non adulatio, hanc à Patribus Concilii Baſileenſis vocem expreſſit, *inſigne Capitulum*

tum Eccleſiæ Pariſienſis & famoſum, ut aiunt, *cœtum viris litteratis & ſapientibus abundare.*

Verùm, quid tandem doctrina proſit, quamvis antiquiſſima & excellentiſſima, niſi ſana ſit? quis fons uberrimus juvet, ſi aquas tabo corruptas aut inquinatas luto volvat? Cedo igitur quid unquam fuerit in Pariſienſis Eccleſiæ doctrina reprehenſum? quis electiſſimo Canonicorum conſeſſu in ſuſpicionem erroris aliquando vocatus ſit?

Et quoniam ejuſdem virtutis eſt ſanam doctrinam profiteri ac vitioſam coarguere, quis datus eſt aliquando vexandæ novitatis locus, in quo ſtudium ſuum & diligentiam deſiderari paſſi ſint Sacerdotes Mariani? Lutherus ſuperiori ſæculo Germaniam ſcelerum ſuorum & errorum funeſtiſſimis facibus inflammabat: appellabantur Canonici Pariſienſes, conſilium ab eorum eruditione, auxilium à fide & integritate petebatur. Calvinus non ita multò poſt Galliam per cauſam reformandæ Religionis, impia novitate deformabat. Superi! quæ tum opinionum portenta, quæ monſtra flagitiorum vidiſtis? Doctrinam ille Chriſti puram, ſinceramque, hauſtam è limpidiſſimis ſacræ ſcripturæ fontibus divinitus afferre ſe clamitabat; hoc nomine, hoc illicio graſſabatur in ædes nobilium, in ſceleratorum animos, in egentium gratiam, in omnium per-

niciem. Ferebatur ad pompam phaleratus error, oblitus fuco ceruſſaque, & ad ſpeciem veritatis affabre compoſitus: illum circumducebant præcones novitiæ religionis, præibat accinctus ferro, & civium ſanguine ſatiatus furor, populus demens lymphatuſque ſequebatur: huic parentes liberis, opibus divites, imi è plebe capite ſuo ac nomine litabant: tanta mole miſeri laborabant, ut fallerentur, ut perirent!

Quis in detrahenda errori larva, in dedocendis civibus, in obterenda ferali hac hydra plurimum laboravit? cujus laudata præſertim opera & celebrata eſt? Exhibete, qui nunc adeſtis Canonici D. Mariæ, tabulas, annaleſque veſtros: extant in illis ſcilicet veſtigia veſtræ ac majorum veſtrorum pietatis non preſſa leviter ad exigui prædicationem temporis, ſed Regum noſtrorum ac ſummorum Pontificum teſtimoniis conſignata, & ad immortalitatem gloriæ conſecrata. Ibi eos intueri licet, ad reſtinguendum commune incendium concurrere, conſiliis improborum reſiſtere, audaciam debilitare, ſcelera machinationeſque detegere; errorem ex aula, errorem è ſcholis, è Curia, è templis, (quò enim non pervaſerat?) deturbare. Illorum monitis graviſſimis & cohortatione incitatus Franciſcus I. pergit in ædem D. Mariæ, ut in publicum ac ſolenne aſylum vexatæ Religionis; ibi, frequentiſ-

ſima Canonicorum ac procerum concione, orationem illam habet, ad quam erexit ſe Gallia & reſpiravit, hæreſis letali petita vulnere ingemuit. Ipſe aliquot poſt annis Pontifex Pius IV. præ gaudio illacrymans gratias palam Superis egit, quod in deploratiſſimis temporibus tam præclaros Sacerdotes Eccleſiæ ſuæ & Galliæ laboranti providentia Numinis obtuliſſet. Gratulatur iiſdem per litteras; ſervatam eorum beneficio Galliam, *& ceteros regni Chriſtianiſſimi populos in veræ pietatis cultu retinendos* illorum exemplo & integerrima doctrina, teſtatur.

Neque illi tamen tantum incendium penitus reſtinguere, tam importunam peſtem, tam latè diffuſam comprimere in perpetuum potuerunt. Tibi aliter viſum, Deus immortalis regnorum arbiter ſcelerumque vindex! Quid putem? an te iſtas ab Gallia pœnas, graves illas quidem, at juſtas tamen & meritas, repetere voluiſſe? an potius extinguendi olim ac ſepeliendi monſtri gloriam LUDOVICO MAGNO reſervaſſe?

Hoc ſi tibi conſtitutum fuit, ſi tot illius rebus præclarè geſtis cumulus iſte debebatur, parum abeſt quin exclamem tanti fuiſſe. Everſa pene Religio eſt, ut eam religioſiſſimus Princeps erigeret: urbes integræ per nefariam conjurationem ab Eccleſiæ gremio, a Regum obſequio divulſæ; ut provincias totas communibus ſuffragiis & ſanc-

tiſſima civium conſpiratione Eccleſiæ ac regno reſtitueret: erepta Galliæ magna Galliæ pars (quid enim refert ſi maneant conjuncti corporibus & loco, qui animis & religione diſſident?) ut Galliam Rex ſapientiſſimus & fortiſſimus iiſdem ſacris totam, eadem religione devinciret, invictamque non tantùm exteris hoſtibus, ſed ſibi ipſam faceret.

Reviviſcite, reviviſcite, qui ſuperiori ſæculo vivebatis, Sacerdotes D. Mariæ, & in iſtius gloriæ partem nobiſcum ac lætitiæ venite. Quanta voluptate perfunderentur, AUDITORES, quàm hæc in melius derepente mutata lætarentur, quæ ipſi depoſita propemodum & conclamata reliquiſſent? Ipſi, inquam, quibus Eccleſiæ univerſæ, atque adeo Galliæ, & hujus urbis religioſiſſimæ gloria ſemper cordi fuit, ut jam tertia & poſtrema orationis parte demonſtrabo.

CUM Sacerdotum ordo pars reip. prima & præcipua ſit, nemini mirum videri debet, ſi non minùs quàm alii ordines reip, & partes in communem gloriam & utilitatem incumbat. Nati ſunt Sacerdotes non ſolùm propugnandæ & ornandæ Religioni, ſed ipſis etiam civitatibus tuendis atque regnis; quemadmodum aſtra, dum ornant cœlum, terris etiam jacentibus invigilant. Itaque legimus illos ob egregia in orbem univer-

ſum merita, ſervatores humani generis fuiſſe nuncupatos. Quid autem in eo genere Pariſiorum Eccleſia præſtiterit, quam utilem operam Eccleſiæ univerſæ, Galliæ toti, atque huic urbi præclariſſimæ navaverit, è graviſſimis tum periculis, tum negotiis, quibus Religio identidem, Gallia, & hæc imperii Gallici prima ſedes perfunctæ ſunt, facillimè cognoſcetis.

Triumphabant Ariani poſt Ariminenſem ſynodum, ubi deluſa per ſpeciem ineundæ faciliùs concordiæ ſanctiſſimorum Antiſtitum probitas, fracta libertas ærumnis, mens oppreſſa metu, extorqueri ſibi paſſa erat Palladium illud ſuum & quaſi ſacram ancoram, vocem illam decretoriam dico, quæ ὁμοούσιον ſive conſubſtantialem Patri Filium pronunciabat. Senſere dolum Catholici, at ſeriùs: alii reclamare palam non audebant; alii, vel ſi maximè id facerent, nihil ſe tamen profecturos arbitrabantur. Volitabant læti & alacres interim Ariani, & qui rem catholicam ferro, facibus, manu delere non potuerant; eamdem ſe unâ voculâ ſublatâ, per ipſos Catholicos evertiſſe gloriabantur. Hærebat orbis attonitus, ſeque imprudentem & invitum, ut Hieronymis deplorat, Arianum eſſe mirabatur: circumſpiciebant in omnem partem boni, ac vindicem oppreſſæ veritatis aliquem à Superis taciti gementeſque poſcebant.

Hîc animos ad inſignis facti memoriam erigite, quod, ſi ſolum eſſet, ad immortalem Pariſienſis Eccleſiæ gloriam ſatis eſſe videretur. Victorinus Pariſiorum Antiſtes Gallicanos Præſules, quos inter aderant nonnulli ex iis qui ante aliquot annos tantâ conſtantiæ gloriâ in Concilio Sardicenſi conſtiterant, in hanc urbem invitat: quod geſtum Arimini fuerat, cum illis recognoſcit, ſilentibuſque ceteris orbe toto Præſulibus, & hiſcere contra dominos rerum Arianos non audentibus, ipſe illorum perfidiam execratur, οὐσίας ſive ὁμοουσίας vocem perperam ex Ariminenſi formulâ expunctam, * *a Galliarum Epiſcopis ſemper fuiſſe fideliter ac ſanctè ſuſceptam* conteſtatur. Scribit una cum ſociis ad Orientales Epiſcopos, & ut communem cauſam magnis animis tueantur, admonet. *Non illum vetus Imperatoris in Eccleſiam furor, qui hac ipſa in urbe Auguſtus paulò antè ab exercitu acclamatus, Religionis Chriſtianæ ruinas ac funus animo deſtinabat; non proborum quorumdam flagitioſa taciturnitas; non crudelitas Arianorum, qui proximè Gaudentium & Ruffinum ſanctiſſimos Præſules, alterum lapidibus & fuſtibus contuſum necaverant, alterum ante rhedam vinctum & currere com-

* *Epiſt. ſynod. Conc. Par. I. an.* 362.

* *Julian. Apoſt.*

pulſum ruptis venis exſpirantem viderant; non aliorum ſexcentorum exilia, proſcriptiones, fugæ, ab incœpto deterrere potuerunt. Stetit aſſertore Victorino ac veluti ſtatore Catholica res, pulſa propè veritas vim ſuam & locum obtinuit.

Quàm luctuoſa Eccleſiæ Romanæ facies erat, cum Gregorius XII. & Benedictus XIII. duo ſummi Pontifices, Petri ſedem eodem ſibi tempore defenderent! Suos uterque habebat auctores patronoſque maximos ac ſanctiſſimos; hinc inde provinciæ, regna, Reges, Doctores, Juriſconſulti, Præſules, Concilia, Jura ſtabant. Unum rebus deſperatis remedium afferri poſſe videbatur, ſi cederet uterque contendentium, uterque Pontificatum abdicaret. Viſa erat ea ſententia potior in primis Academiæ Pariſienſi, cujus tùm prudentia ſingularis & fides enituit: ſed cogi poſſe Benedictus negabat, ac ſe Francorum & Aragonum opibus ſuſtentans, bellum atrox & inteſtinum fovebat. Ruebant interim in his tenebris homines ambitione, odio, invidia, partium ſtudio, concitati, quaſi offuſa ſempiterna Chriſtianæ reip. nox eſſet. Inſtabat Sigiſmundus Imperator, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Italiam circumcurſabat, ut diſſidentes & convulſas orbis partes componeret: nihil promovebat. Antiſtites qui Piſas convenerant, nihil profecerant aliud, niſi ut ad

duos Pontifices maximos tertius peræquè ac illi dubius, adderetur. Sed, ô ſingulare beneficium Pariſienſis Eccleſiæ in Eccleſiam univerſam? Audite, populi, & tanti beneficii memoriam, Roma, cole. Joannes Pariſienſis Præſul pacem & concordiam fruſtra quæſitam à Regibus, Imperatoribus, Juriſconſultis ac Doctoribus orbi jactato & extrema omnia metuenti dedit. Is pro ea qua valebat auctoritate & eloquentia, vehementer apud Carolum VI. Galliæ Regem in celeberrimo Præſulum regni & Procerum conventu contendit, ut Benedictus XIII. cogeretur in ordinem, & ab ejus cauſa Franci recederent; perſuaſit: deſtitutus à Gallia Benedictus concidit; ac ſubrogato brevi poſtea Martino V. vetus illud ac fatale diſſidium poſt annos fere quinquaginta ſublatum eſt.

Te, Anglia; te, Italia; vos, oræ omnes orbis terrarum ac regiones, appello. Quænam illarum, AUDITORES, ſimillimis in remp. Chriſtianam Eccleſiæ Pariſinæ beneficiis vacat?

Henricus VIII. Angliæ Rex, ille qui ſignum adverſus hæreſim ſuſtulerat, qui præclarum Fidei Defenſoris nomen fuerat conſecutus, idem (quo! quo! ſapientiſſimos interdum homines nefariæ cupiditatis æſtus abripit?) ille, inquam, Chriſti Eccleſiam probris omnibus ac ludibriis affecerat; Pontificem Romanum publicè in comœdia at-

que ſcena traduxerat; eadem regia manu, qua Lutheri deliramenta & aniles fabulas paulò antè refutaverat, eadem, inquam; manu ſcripſerat librum, in quo ſe hoſtem Religionis infenſiſſimum denunciabat, & vim omnem inauditæ cujuſdam acerbitatis effundebat.

Quis hominem efferatum mitigabit? Ubi reperietur qui animum indocilem tractare audeat, qui tractando ſanare poſſe ac lenire confidat? Quæritis, Auditores, in Eccleſia Pariſienſi reperietur. Bellaïus Antiſtes Pariſinus, qui vir, & quantus? noſtis; adit Henricum VIII. videt, vincit; eo denique ipſum adigit; (credetis hoc poſteri?) ut Oratores ille Romam mittat, ſpondeatque ſe in officio & in poteſtate Eccleſiæ futurum. * Quàm tecta ſunt conſilia Numinis! quam *inveſtigabiles viæ ejus!* Eóne præclara hæc incœpta ſpeſque lætiſſimas recidiſſe, ut.·.·.·. Sed animos potiùs veſtros, Auditores, ab hac triſtiſſima recordatione ad ſpem certiſſimam præſentis temporis, lætitiamque traducite. Favete, Superi, & Jacobum Regem, per quem Catholica fides in Anglia lætis ominibus aſpicere lucem cœpit, diù ac pacatè regnare jubetote. Fuerit hoc majorum ipſius triſte fatum, ut ab avita religione deſciſcerent, hæc una illorum nomini labes inuri poterat, hanc Jacobus eluat, tot Re-

* *Rom. XI.*

gum tam Catholicorum olim nepos hereſque non degener, fidem patriam priſtinum in gradum reſtituat; exiſtat ex illorum buſto & cineribus ultor ille nobilis, qui damna per Henricum VIII. Eccleſiæ parenti optimæ importata magno fœnore reſarciat.

Neque verò cum de Pariſienſi Eccleſia loquor, de Antiſtitibus ſolùm loquor, qui capitis in ea locum obtinent; de ceteris etiam, è quibus ornatiſſimus Antiſtitis ſenatus effloreſcit, Sacerdotibus loquor. Veſtra enimverò, ILLUSTRISSIMI CANONICI, veſtra, inquam, prudentia ſingularis, veſtrum in rem Catholicam incredibile ſtudium fecit, ut vos, ut ſodales olim veſtros clariſſimos maximis negotiis dirimendis arbitros, interpretes & ſequeſtros, Reges Galliæ, Romæ Pontifices, Concilia orbis terrarum adhibuerint, voſque certiſſimum decus ac tutamen Eccleſiæ (quod hoc herico ſymbolo videtis adumbratum) eſſe putaverint.

Vocati eſtis in cœtum Præſulum, de quo antea dixi, cum Petrus Lunenſis omnia funeſto ſchiſmate perturbaret: conſulti à Carolo VI. ad quem delatæ fuerant querelæ quædam de Romana Curia; tumque ita reſpondiſtis, ut veſtra ſententia Regis ac regni rationibus accommodata, & cum ea, quæ ſedi primæ debetur, veneratione conjuncta eſſet: conſulti à Carolo VII. demit-

tendis ad Concilium Conſtantienſe legatis: certi è veſtro collegio delecti ab eodem in cauſa Pragmaticæ Sanctionis, Rothomagum & Avaricum Biturigum idcircò miſſi: miſſi ad Colloquium Piſciacenſe, ad Comitia Cleri Gallicani Aureliis, Turonibus, & aliis ſubinde locis habita Regum litteris honorificentiſſimis ad ea invitati, interdum adeſſe pro imperio juſſi.

Qui tantâ fuerunt erga Eccleſiam univerſam fide, num eos patriæ, num hujus almæ urbis oblitos fuiſſe arbitramur? Ita ſe res habet, AUDITORES, nullis patria carior eſt, quàm quibus eſt Eccleſia, fides, Religio cariſſima. Age igitur, Gallia: (teſtem enim te locupletem hîc appellare poſſum) venietne tibi unquam in mentem Lutetiæ tam graviter obſeſſæ ſub Carolo Craſſo & in ultimum diſcrimen ab acerrimis hoſtibus adductæ, quin memineris quantùm duobus Pariſinis Antiſtitibus Gauſleno & Anſcherico debeas? Illi videlicet non tantùm precibus & ſupplicationibus pro more indicendis, ſed conſilio; neque conſilio tantùm, ſed manu, ſed corpore ipſo & capite defendendam urbem, tutandas aras putaverunt. Quænam tantæ fortitudini merces debebatur, AUDITORES? Ea quàm Carolus Craſſus liberatâ Lutetiâ eidem Anſcherico perſolvit, quem gubernatorem urbis creavit: Rege, inquit, urbem quam ſer-

vaſti. Quid ? Cum Carolus V. rebus aliquot ſecundis ferox, Anglorum copiis & Hiſpanorum ſuccinctus poſt captum S. Deſiderii fanum Lutetiam infeſto agmine raperetur, qua fortitudine Bellaïus tumultuantem plebeculam & repentini periculi metu perculſam continuit, & ad rem bene gerendam excitavit ? Multa ejuſmodi cogor omittere penitus, quæ vobis rerum noſtrarum & annalium peritis confido eſſe non ignota : pergo pauca quædam alia delibare potiùs, ut anguſtiæ temporis jubent, quàm, ut magnitudo rerum dignitaſque poſtularet, exponere.

Quis majori erga LUDOVICUM Pium fide, quàm Erkerandus Pariſiorum Antiſtes fuit? Quis in aſſerenda patris optimi auctoritate contra impotentes filios, Regis contempti majeſtate contra perduelles vindicanda conſtantior ? Quis LUDOVICO IX. carior, quàm Stephanus Temperius, quem Rex ſanctiſſimus cùm ſacram in militiam proficiſceretur, & conferendis in Gallia ſuo nomine beneficiis Eccleſiaſticis dum abeſſet, præpoſuit; & ſui teſtamenti, ſi quid accideret humanitus, exequendi curatorem inſtituit? Captus erat anno 1356. Joannes Philippus Valeſii filius acie in Pictonibus malè commiſſa, & in Angliam abductus : capta cum Rege ſuo Gallia videbatur ; in eam Angli tanquam in vacuam hereditatem ſpe, ani-

mis, armis involabant. Quis in communi dolore, cùm eſſent omnia triſtiſſimo illo caſu deſerta, horrida, muta, plena luctus & timoris, ad pacem componendam, ad Regem regno, Galliam Galliæ reſtituendam, curas & operam præcipuè contulit? Petrus Foreſtius Pariſinus Antiſtes: pergit ille in Angliam, fœdus cum hoſte facit, Regem & cum eo pacem, tranquillitatem, vitam jacentibus ac pœne exanimatis Gallis revehit.

Magna hæc in urbem hanc & Galliam univerſam merita, AUDITORES! majora expectate. Fortunata lux, ac propè natalis hujus imperii, quæ Henricum Magnum Eccleſiæ, fidelium cœtui, Galliæ flagitanti redonavit! Quis tum non triumphavit gaudio? quis fundatum de integro & conſtitutum hoc imperium, ſedato civili bello, excuſſo exterorum jugo, ſublatis crudelibus armorum animorumque diſſidiis, non gratulatus eſt? Sed Regem tamen ut Pontifex Romanus exſolveret iis vinculis, quibus eum hæreſis, illa tot malorum una labes, conſtrinxerat, non parum, ut ſcitis, laborandum fuit. Cui dabunt Superi partes tantæ rei conficiendæ, ex qua non regni tantùm, ſed avitæ religionis fatum videtur eſſe ſuſpenſum? Sit hæc, AUDITORES, Pariſienſis Eccleſiæ gloria, munus hoc illius & provincia ſit. Ejus An-

tiſtes Petrus Cardinalis Gondius, adjuvante Toleto Cardinale, Societatis noſtræ, ut Henricus Magnus prædicabat, (qui etiam illi demortuo ſolennibus ad honorarium tumulum ſacris & exequiis in æde D. Mariæ parentari juſſit.) Gondius, inquam, negotium Romæ tranſegit, & improborum conſilia, qui per nomen retinendæ religionis regnum florentiſſimum evertere conabantur, extinxit. Quid eſt patriam juvare, ſi hoc non eſt? Mandate hoc animis, Galli: Henricum Magnum receptum; ſtantes aras, ſervatam Religionem Eccleſiæ Pariſienſi debetis. Eat nunc, miretur, ſi quis volet, magnificam illam Regum noſtrorum vocem, * *qui Pariſienſem Eccleſiam tantò propenſius honorare ſe debere fateantur*, (conceptis eorum verbis utor) *quantò eam ex longo temporum uſu coronæ regni familiarius adjunctam eſſe perpenderunt?*

Facta verbis addidere. Petrus Cunierius quidam, regius in Senatu Pariſienſi Advocatus erat is cùm regia neſcio quæ, ut dictitabat, jura contra D. Mariæ Canonicos aſſereret, Philippus Valeſius poſt varias altercationes, victus demum ſe judice, cauſam Canonicis adjudicavit, teſtatus ſe tam inſignis Eccleſiæ jura ſemper præ ſuis habiturum.

* Ludovicus VII. in charta, an. 1147.

Mitto munera, beneficia, privilegia maxima & ampliſſima, quibus eamdem alii Gallorum Reges proſecuti ſunt. Mitto Antiſtites & Canonicos graviſſimis rebus gerendis admotos, ſive paces, ſive bella tractanda forent; creatos Regni Cancellarios; Legatos in varias orbis partes miſſos; erudiendis Regum filiis præpoſitos; iiſdem additos conſilii capiendi cauſa? quod in Ingeluvino Pariſienſi Epiſcopo memorabile inprimis fuit, quem Carolus Calvus Romam cogitans Ludovico filio ſic adjunxit inter alios regni proceres, qui certis tantùm locis ac temporibus illi adeſſe jubebantur, ut aſſiduè cum eodem eſſe, & ab ejus latere nunquam diſcedere voluerit. Quid? Reges iidem olim in Palæſtinam profecturi, ubi vexillum & reliquum ſacræ peregrinationis inſtrumentum auſpicato ſumere ſolebant? ubi votorum compotes, gratias Superis & votiva dona ſolvebant? quem in locum ſtatas ſupplicationes Cleri Pariſini convenire jubent, nunc ob reductam in obſequium ſuum urbem, nunc ob eamdem ab Anglis receptam? quas ante aras advoluti, cùm primùm capeſſunt ſceptra, ſacramentum illud auguſtiſſimum dicunt, quo ſe fidei Catholicæ vindices fore pollicentur? ubi ſancire fœdera cum hoſtibus, ubi eorum exuvias & vexilla ſuſpendere, ubinam ipſi morte obita deponi ſolent antequàm in Sandiony-

ſianum mauſoleum efferantur ? ubi demum ſe LUDOVICUS XIII. ac regnum ſuum Virgini ſoſpitatrici ſempiterna voti ſanctiſſimi ſponſione obligavit ? Hæc omnia in æde Divæ Mariæ, in manibus Canonicorum, in gremio Pariſienſis Eccleſiæ peracta ſunt.

FACTUM benè, LUDOVICE MAGNE, quod in eam Eccleſiam ornandam incumbas, quàm tanto apud majores tuos in pretio fuiſſe intelligis. Dum in ea viſentur illorum pietatis egregia monumenta, tot accenſæ lampades, pictæ tabulæ, donaria, equeſtres ſtatuæ magna mole poſitæ; extabit ara omnium maxima tuis extructa ſumptibus, tuo ſignata nomine, tuorum triumphorum veſtigiis impreſſa. Ibi longè meliùs, longè ſanctius quàm in fornicibus magnificentiſſimis, in portarum clauſtris, in compitorum frontibus, in platearum quadriviis, in Verſalianis ſubſtructionibus, in fluviorum penſilium ſublimibus alveis, in captarum urbium mœnibus, in ambuſtis ac fumantibus adhuc Algerii ruinis, legentur hoſtes à te debellati, donata pax Europæ, conſtituta Religio, hæreſis profligata. Confluet in ædem D. Mariæ, ut fit, ſera poſteritas, & aurei ſæculi, quod nobis facis, recordatione vel obſtupeſcet, vel invidebit, vel (ut potiùs reor) nobis ac ſibi, ad quam

quam præſentis felicitatis fructus aliquis pertinebit, gratulabitur. Aſcribent omnes pietati potiſſimum erga Virginem Deiparam tuæ, id enim ipſe profiteris ultro ac prædicas, illa quæ nemo Regum hactenus edidit miracula. Quod ita fracti ſunt qui te cùmque laceſſere auſi ſunt hoſtes, ut oblatam à te pacem ingenti apponant lucro: ita ex imperio maris quod invaſerant, flammis ultricibus dejecti prædones Afri, ut quas antea catenas aliis injiciebant, ipſi ſponte jam induant: ita perculſi terrore Gallici nominis, ac tuæ virtutis fama remotiſſimi populi, ut certatim ad fœdera ferienda convolent: ita hæreſis domita quæ olim de noſtra ſervitute magis quàm de ſua libertate certabat, ut parêre tandem, ac Regem ſentire didicerit. Quod ipſe unus ita elementis & hominibus, mari terriſque imperas, ut legibus tamen & æquitati ſervias; quod ita, quidquid velis, potes; ut nihil niſi juſtum velis: cumque cæteros Reges felicitate, opibus, gloria ſuperes, te ipſum modeſtia tua & moderatione vincas.

Te verò, HARLÆE, Præſulum Galliæ decus ac ornamentum, ſacrorum in hac urbe cuſtos ac præſes, quibus incedere lætitiis par eſt, qui Eccleſiæ tuæ dignitatem cum LUDOVICI MAGNI gloria videas eſſe conjunctam? Novimus enim quàm utraque tibi cara ſit, quo ſint apud te loco

Eccleſia Pariſienſis & Sacerdotes ejus illuſtriſſimi, quo te Rex apud ſe loco eſſe velit: quem cùm tanti facias, quanti alium profectò neminem, non potes illa ejus pietate & religionis ornandæ ſtudio, quæ laus, ut verè dicam, laudum ejus princeps eſt, non maximè lætari.

Neque minùs, opinor, ille ſibi gratulatur, quòd ornandæ Pariſienſis Eccleſiæ conſilium inierit, cum eidem Eccleſiæ præeras, ut ſub ornatiſſimo Præſule Pariſienſis Eccleſia eſſet quàm ornatiſſima, & ædes ſacra D. Mariæ ceteras regio munere ſuperaret, cujus Antiſtes ceterorum qui eidem præfuerunt olim Antiſtitum, dotes egregias in ſe uno colligit ac repræſentat; aliorum nobilitatem, generis claritate; eruditionem aliorum, præſtanti doctrina; horum gratiam apud Regem, ea qua pollet apud Regum facile maximum auctoritate, cui nihil niſi magnum placere ac probari poteſt: *omnium capax debet eſſe meritorum*, ut apud Caſſiodorum legere eſt, *qui judicem cunctarum meruit habere virtutum.* Illorum comitatem, humanitate morum admirabili, quæ illum ſummis infimiſque acceptiſſimum reddit; iſtorum inter Sodales ſuos Præſules dignitatem quandam & præſtantiam, ea caritate & obſervantia, qua ipſum cæteri Galliæ Antiſtites proſequuntur, qui toties eundem ſolennibus Gallicani Cleri Comitiis

præeſſe voluerint : quod cum illi faciunt, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, intelligunt ſe honorem hunc non Archiepiſcopo Pariſienſi, non Duci & Pari Franciæ, qui titulus primùm à te Pariſinis Præſulibus in perpetuum conciliatus eſt, non regii Torquatorum Equitum Ordinis Commendatori deferre, ſed tibi. Omnium denique pietatem incredibili ſtudio amplificandæ religionis, quod etſi aliàs ſemper declaravit, cum quidquid apud Regem poteſt (quid autem non poteſt) hoc totum non ſuis, non ſuorum fortunis augendis, ſed ornandæ Religioni ſervire voluit; tum iſtud ipſum hoc maximè tempore præ ſe tulit, ſive in traducendis hominibus ab errore ad veritatem, à profanis ſacris ad meliora, ſive per immiſſos in omnem latè Galliam ſtrenuos Sacerdotes erudiendis. In quo ita ſalutaribus LUDOVICI conſiliis curiſque reſpondet, qui partes illius in hoc præclaro labore præcipuas eſſe voluit, ut vel ad optimi & Chriſtianiſſimi Principis diligentiam ac pietatem; vel ad ſapientiſſimi & vigilantiſſimi præſulis ardorem, ſtudia, providentiam accedere nihil poſſit. Macte iſta virtute, REX, macte ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME. Nimirum te regiæ pietati, ut facis, obſecundante, illud quod fruſtra majores noſtri tot votis optaverunt,

nunc tandem incredibili Numinis beneficio, ſumma tua, ſumma Regis Maximi gloria perfectum intuemur, ut Galli eandem omnes in fidem ſententiamque conveniant, & luctuoſa illa, quæ Franciæ, quæ Religioni tanto ſanguine ſteterunt, jurgia & bella feliciter extincta gratulemur.

DIXI.

APPARATUS TEMPLI

AD RECITANDUM PARISIENSIS ECCLESIÆ PANEGYRICUM ADORNATI.

IN area majore Collegii, qua parte in Templum aditus eſt, ſumma totius operis, & quaſi dedicatio legebatur.

Ad januæ latera viſebantur Angeli duo, ſuæ quiſque inſiſtens baſi: alter ſcutum gentilitium Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, alter Capituli Pariſienſis, geſtans; uterque altera manu ſupra fornicem januæ ducta, imaginem baſilicæ divæ Mariæ Pariſienſis ſuis illis turribus viſendam attollens. In ſummo, extabat Virgo Deipara Filium ſinu complexa, duobus Angelis minoribus hinc inde adjectis, & geminam hanc vocem ſcriptam monſtrantibus, Ecclesiæ Parisiensi,

In Templi penetralibus, ubi aulæum ingens aræ majori prætendebatur, umbella quadrata penſilis, oſtro auroque rigens imminebat pictæ tabellæ Illuſtriſſimum Archiepiſcopum repræſentanti: tabellam præferebant ac ſtipabant hinc Prudentia, inde Scientia; utrique incumbebat Symbolum heroicum duplex.

I. Speculum concavum, in quo Solis radii diverſâ ex parte conjecti colliguntur. *Omnes in ſe ſe colligit uno.* Quo verſiculo ſignificabatur, Illuſtriſſimum Archiepiſcopum egregias dotes Pariſinorum Præſulum, quorum imagines in toto paſſim Templo pictæ pendebant, in ſe ſe colligere.

II. Pharus in portus oſtio ſublime lucens. *Errantes in portum dirigit.* Quæ voces ſatis apertè indicabant eundem Illuſtriſſimum Archiepiſcopum in revocandis ab hæreſi hominibus & ad portum Eccleſiæ reducendis inſignem præter ceteros operam collocare.

Templi partes aliæ tres, totidem Pariſienſis Eccleſiæ dotes præcipuas complectebantur & illuſtrabant.

Quæ ſubeuntibus occurrit ad lævam, ubi ſuggeſtus Oratoris cernebatur, ea voces iſtas ſumma in coronide grandioribus characteribus exaratas præferebat, Pietas Ecclesiæ Parisiensis. Illi verſui ſubjiciebantur inſcriptiones ſuis quæque ſymbolis comitatæ.

Prima inſcriptio : PIETAS ECCLESIÆ PARISIENSIS PUBLICA AD EXEMPLUM. Sequebatur ſymbolum heroïcum : Aquila pullorum agmen agens, & verſus altum Solem antevolans cum hac epigraphe : *Provocat exemplo*

Secunda inſcriptio voces iſtas habebat : PIETAS ECCLESIÆ PARISIENSIS CONSTANS AD DIUTURNITATEM. Symbolum huic adjunctum Solem oſtendebat cum hac vocula : *Nunquam diſſimilis.*

Tertia inſcriptio hæc erat : PIETAS ECCLESIÆ PARISIENSIS FORTIS CONTRA IMPIETATEM. Pro ſymbolo heroïco pingebatur turris illa Davidis, de qua ſacræ paginæ meminerunt : rem ſignabat hemiſtichium : *Tela omnia contra.*

EA pars quæ Templum ingredientibus dextra eſt, eademque in Oratorem intuentibus averſa, titulum hunc inſcriptionibus & ſymbolis impoſitum, gerebat: ERUDITIO ECCLESIÆ PARISIENSIS. Infra pendebant inſcriptiones & ſymbola hoc ordine.

I. Inſcriptio. ERUDITIO ECCLESIÆ PARISIENSIS ANTIQUISSIMA.

Symbolum primum : Nummi antiqui ex urna fuſi : *Pretium facit ipſa vetuſtas.*

II. Inſcriptio. ERUDITIO PARISIENSIS ECCLESIÆ PRÆSTANTISSIMA.

Symbolum ſecundum : Stellæ nocturno-

cælo fulgentes : cum hoc lemmate : *Ab alto invigilant terris.*

III. Inſcriptio. ERUDITIO PARISIENSIS ECCLESIÆ INTEGERRIMA.

Symbolum tertium : Speculum : *Semper vera docet.*

DENIQUE in ea Templi parte, per quam in vicum exitus eſt, legebantur ea verba litteris majoribus expreſſa : OPERA PER ECCLESIAM PARISIENSEM NAVATA ECCLESIÆ, LUTETIÆ, GALLIÆ. Subjectæ his vocibus tribus tres tabellæ : una Eccleſiam, ut pingi ſolet, exhibens ; altera, urbem Pariſinam ; tertia, Galliam. Sua quoque ſingulis tabellis impoſita ſymbola.

In primo cernebatur Ædes ſacra munimentis cincta & propugnaculis : addita vox, *Decus & tutamen*, indicabat Antiſtites & Canonicos Eccleſiæ Pariſienſis non ſolùm fuiſſe ſemper ornamenta Eccleſiæ univerſæ, ſed etiam præſidia.

In ſecundo ſymbolo, Navis, quod inſigne Lutetiæ eſt, proſequentibus à puppi ventis volare videbatur : *His aſpirantibus ibit.*

In tertio, quod impoſitum erat Galliæ, ſurgebat Domus nixa longo columnarum ordine : *Secura hoc ordine moles.* Quæ quid innuant, ſatis per ſe quiſque, ſine interprete cognoſcit.

Qui

Qui præcipuè laude aliqua floruerunt olim Pariſini Præſules & Canonici, eorum effigies inſcriptionibus ac ſymbolis coronandis & ambiendis erant adjunctæ: mixtis promiſcuè paſtoralibus pedis ac floribus liliorum, quæ in area ſcuti ſui ſymbolici Capitulum Pariſienſe geſtat: eademque lilia opere Phrygio intexta in ſericis & aureis, quæ locum omnem veſtiebant, periſtromatis, ſpectabantur.

LUTETIÆ PANEGYRICUS.

DICTUS PARISIIS VII. KAL. DECEMBR. ANNO MDC. LXXXVIII.

FUIT illa veterum in celeberrimis urbibus laudandis vel ſuperſtitio vel adulatio, ut inſignia quædam ad illarum commendationem portenta & ſplendida ſæpè mendacia prædicarent, AUDITORES ORNATISSIMI. Sic Trojam a mercenariis numinibus Neptuno & Apolline conditam, Thebas convolantibus ad ſuaves lyræ modulos quaſi auritis lapidibus, ædificatas: ſic Athenas Minervæ patrocinio, Delphos oraculis Phœbi, Delum ejuſdem natalibus inclytas; ſic Romam addicentibus vulturibus intra ſeptem illos colles auſpicatò poſitam, ambitioſa priſcorum fides annalium promulgavit.

Iſtis enimverò commentis gaudeat prodiga miraculorum & ſui oſtentatrix vetuſtas; nos, in laudanda regni Chriſtianiſſimi

urbe principe, fictis miraculis non egemus, qui ſolidis abundamus & veris; neque uno tantùm aut altero, ſed tot tamque diverſis unum hunc in locum quaſi congeſtis, ut qui enumerare illa velit, huic non tam ſit metuendum ne quid comminiſcatur falſi, quàm ne quid veri certique prætermittat. Hæc illa ſcilicet eſt civitas, oculus Europæ, orbis compendium, tot heroum felix parens, omnium artium domicilium, litterarum theatrum & ſcientiarum, victoriarum noſtrarum ac trophæorum cuſtos, auguſtiſſimum juſtitiæ templum, propugnaculum fidei religioniſque tutiſſimum. Hæc illa, quam unam tanti faciebat Henricus IV. poſtquam cædem & regno reliquo potitus eſt, ut cùm aliquando jactari audiret, inſignes titulos & congeſtas regnorum, ac Provinciarum utriuſque orbis appellationes magnificas, quibus regnum Hiſpanorum nomen & majeſtas augeri amat; hoc unum reſponderit, ſuóque aſcribi nomini voluerit, Henricus Lutetiæ primus civis.

Præclara vox & ad hujus urbis laudem tanti, vel una ponderis ac momenti, ut ea pronunciata orator dicendi facere finem poſſit. Vos verò fortunatos, cives illuſtriſſimi, quibus in hac urbe clariſſima naſci & educari contigerit! de qua ſi minus ornatè dixero, quæſo ut tenuitati potiùs meæ, quàm ipſi argumento tribuendum putetis. Mihi

quidem ſatis fuerit, legitimo & propè debito erga patriam amantiſſimam, atque optimam, officio ac pietate defungi: ſimulque vobis, Pariſini, quibus noſtra Societas tantùm ſe debere profitetur, hoc animi noſtri grati & memoris monumentum veluti conſecraſſe.

Faciam verò id, quod ſolent qui magnas, ſpectandi ſtudio, ædes inviſunt. Illi ſitum primò domùs & aream, atria, fores, veſtibula, varias ædium partes luſtrant: deinde verò, dominum ipſum & habitatorem adeũt; ut certè, quis ille ſit percontantur: ſimiliaer, inquam, in hac urbe ampliſſima ſpecttanda, quam communem totius Galliæ, pænè dixi totius orbis, domum poſſumus appellare, ſpectabimus priori quidem parte orationis, ea quæ ad urbem ipſam, ædificia, frequentiam, opes & ſpeciem quandam externam dignitatemque pertinent: altera verò parte, cives urbis dominos & incolas, mores illorum ac ſtudia, perpendemus. Ex hoc utroque capite Lutetiam vix ulli antiquarum urbium concedere; ceteris verò, quæ nunc in aliquo pretio & numero ſunt omnibus, longo intervallo præſtare, facillimè cognoſcetis.

Fingite igitur, obſecro vos, pauliſper animis, quam eſſe illam urbem deceat, quem externum illius cultum & ornatum, quæ florentiſſimi ſit imperii caput, arx quædam &

regia populorum omnium ac gentium; quam incolant potentiſſimi Reges & maximi, ad quam nationes omnes confluant, ubi litteræ, artes, Religio, arma, jura, leges habitent ac vigeant. Opinor id requireris ut ſit opportuno loco & ſitu condita, & ædificiorum deſcriptione, numero ac pulchritudine, ampla & ornata, incolis frequens, commercio dives, ordinum clariſſimorum & cœtuum, ſive collegiorum & corporum, ut vulgò vocant, varietate & dignitate nobilis, legum denique ac urbanæ diſciplinæ præſidio tranquilla. Ecquid in hac imagine Lutetiam agnoſcitis?

Ac primò quidem, ut pauca de ſitu ipſius dicam, potuitne loco amœniori, potuitne opportuniori eſſe conſtituta? Nonne ad ornandam & parandam urbi dominæ aream, elementa videntur omnia conſpiraſſe? Terra, fertilitate adjacentis ſoli, & rerum omnium copia quæ ſunt ad ædificandum neceſſariæ: ignis, temperie gratiſſima, quæ nec æſtu nimio languet, nec iniquis frigoribus peccat: aër, ſalubri aura cæloque puriſſimo: aqua, gemino flumine, quod junctis paulò ante quàm urbem ſubeat alveis, ad eam ditandam alendamque concurrit, & vectigales è Provinciis omnibus, vicinoque mari fruges in eam devehit, non aliter ac ſanguis è toto corpore ad cor per majores quaſdam venas deportari ſolet.

Quàm jucunda varietate patet ager & funditur prope urbem in aperta ſpatia liberoſque campos, ingentium capaces exercituum, ad ſementem idoneos, opportunos ad venationem ut in devexa circum juga molleſque colliculos attollitur, quibus inſident continui, urbicularum inſtar, pagi, velut ad coronandam reginam urbem undique diſpoſiti?

Quàm juvat intueri poſitas in orbem ſuperbas procerum ac principum domos, Sanclodovæum, Meudonium, Sealium, caſtrum ſancti Mauri, Confluentem, Vincenas, Ruellium; ſic tanquàm atria ingentis domus unde ſuſpicari, quænam ſint aliæ partes, licet.

Sed cur tam diù moramur in limine? ſubeamus: quàm pulchra ſpecies, quocunque oculos convertam, occurrit! omnia me ſtupentem incertumque detinent in tanta vicorum, domorum, palatiorum, pontium, platearum, fontium, Templorum, Macellorum, Cænobiorum, Noſocomiorum, Academiarum, Officinarum, varietate, numero, pulchritudine. Quàm eſt amœna facies illorum aggerum, quos circa pomerium partim jam ductos, partim deſignatos & inchoatos video! Quid ſuavius quàm ex illis proſpectum longè in urbem agroſque petere, aut ſpatiari liberè in xyſtis ingentibus & ambulationibus quas deſcriptæ longis ordinibus arbores belliſſimè veſtiunt.

Cur autem deſtructæ quædam ſunt portæ? cur nonnullæ eximio apparatu extructæ? nullas eſſe portas decuit, ut populis omnibus certatim convenientibus liberior aditus pateret: aut ſi quæ eſſent, tales eſſe decuit, ut publicæ magnificentiæ ſpecimen ipſo in introitu præberetur. Deſine, Roma, jactare triumphales tuorum Imperatorum Arcus, vel in ipſis portis de te Lutetia triumphavit. Sed cur iterum moror? parcite, AUDITORES, ipſa me tenent, ac morantur ſuburbia, quæ totis oppidis facilè majora ſunt, iiſque ampliſſimis, frequentiſſimis & ornatiſſimis. Ipſam verò urbem cum ingredior, quid primùm dicam, quid poſtremum, neſcio. Dicamne de numero domorum & multitudine, quarum quinquaginta & ampliùs millia recenſentur? an de illarum ſublimitate, contignationibus & altitudine? quâ fit ut multæ videantur una in domo eſſe domus, aliæ aliis ſuperſtructæ? quantum ſpatium ab imò tabulato ad ſumma faſtigia? Laudatur Londinum ob perpetuam domorum ſeriem longo ſecundùm Tameſim ordine ductarum: ſed ponamus una tantùm aut altera contignatione, ut Londini, ſic Lutetiæ domos conſtare & alias aliis deinceps adjungi, nonne Londinum uſque fermè Lutetia pertinebit?

Quid eædem illæ domus, quàm denſæ Pariſiis, quàm ſtipatæ ac confertæ ſunt!

miretur qui volet quod de primaria Chaldæorum urbe narrant, tantam fuiſſe illius amplitudinem, ut cum aliquando ab hoſtibus capta foret, id vix tertio demum die pars urbis ultima perſenſerit. Quaſi verò eſſet obſcurum in ejuſmodi urbibus fuiſſe præter ipſas domos, inertis & inculti ſoli magnam vaſtitatem, ingentia latifundia, totaſque prope modum regiones, ut intra urbis mœnia, quòd diſertè Philo docet, peregrinari, quibus commodum videretur, liceret.

At hic nihil vacuum, nihil otioſum, vel minimus angulus, ædium projectura, vel anguſtiſſima, domo certa, vel taberna occupatur, & auro venalis eſt. Quàm vellem liceret mihi per temporis anguſtias obire ſaltem curſim præcipuas regiones urbis & quæ ſunt in ſingulis paulò inſigniora, delibare! quamquam hæc fortaſſe parum haberent apud vos admirationis, quibus familiaria & quotidiana ſunt, quæ tamen hoſpites & advenæ mirari ſatis non poſſunt, cum in iſtis vicorum labyrinthis errant, quorum numerus octingentorum eſſe fertur, è quibus explicare ſe interdum & extricare vix queűt; cum baſilicas in ſingulis propè vicis & procerum domos luſtrant, cum privatorum ædes vident nihilo palatiis inferiores, & auro argentoque renidentes: cum numerant, hîc pontes partim tectis penſilibus onuſtos, par-

tim laxos & patentes : illic plateas complures, alias ad ornatum, alias ad rerum venalium copiam & facultatem : nunc publicos fontes qui è remotis collibus per aquæ ductus Romæ veteri etiam invidendos, deportati, aut ex ipſo ſequana ſubvecti totam urbem plumbeis incluſi tubulis permeant.

Nunc ædes ſacras ferè trecentas, in iiſque plurimas mole, ornatu, antiquitate, novitate, præſtantes : cum illa cernunt miracula quæ viſuntur in tegulariis ad rei hortenſis delicias, in Lupara ad ſubſtructionum immanitatem & magnificentiam, in armamentario, ad rei bellicæ ſpecimen, in palatio Luxemburgenſi, in regio qui vocatur circo, in ſexcentis id genus locis ad incredibilem quandam dignitatem.

Sed nihil æquè tamen admirantur atque frequentiam urbis & incolarum multitudinem. Ac ſanè ſit aliqua civitas major & vaſtior Lutetia, cujus ambitus non ultra ſex leucas aut ſeptem porrigitur, populoſior quidem certè ac plenior nulla fuit. Carolo VI. in eam olim ſubeunti ducenta civium millia obviam honoris causâ prodierant; nemo id in urbe reliqua ſentiebat : ab eo tempore quanta facta eſt acceſſio! contemplare templa, urbem in templa conveniſſe totam dices : perge hinc in vicos; negabis reſtare quemquam in templis aut ædibus : abi deinde in amœniora illa quæ circa urbem

patent ſpatia, præſertim iis diebus quibus operum ſoluti cives feriantur, ibi civitatem eſſe univerſam affirmabis.

Lepidum eſt audire Horatium & Juvenalem cùm de Romanæ urbis anguſtiis conqueruntur, cùm implicatas funeribus, plauſtris, mandris, & gregibus vias belliſſimis verſibus explicant; numquid illis leviora, ſi Lutetiæ viverent, quererentur? quis in ampliſſimis vicis, in ponte novo evolvere ſe rhedis ac turba poteſt? quæ via, quod diverticulum, qui angiportus, gerulis, operiſque, jumentis, & hominibus, non fervet?

Hinc, opinor, eſt ea vox Caroli V. Imperatoris; qui ſe tria quædam in Gallia vidiſſe dictitabat, mundum, urbem, pagum: urbem, Aurelias appellabat: pagum, Pictavium, quod ſine clariſſimæ civitatis injuria dictum velim, Mundum, Lutetiam hanc ipſam vocabat, quæ non minùs profectò quam Roma vetus, populorum patria communis dici poteſt, ac generis humani, ſi unum coire in locum velit, capax.

Neque id mirum cùm tanta ſit Pariſiis facultas vitæ, ut cuique commodum eſt, agendæ. Latere vis, hic tutæ ſunt, vel in media turba, latebræ? vocem illam veram eſſe comperies, magna urbs, magna ſolitudo: vis lucere? amas videri? hæc ſolis domus eſt: nemo qui lucere poteſt, latet: vis genium curare paulò benignius? nihil deerit,

ſi nummi non deſunt. Literas colis? ubi plus vigent? delectaris celebritate, fumo, ac ſtrepitu; non poteſt eſſe quam hic, vel major, vel ſuavior.

Nec parum iſtam celebritatem juvat opportunitas commercii, tanta mercium copia, tanta varietas omnium rerum, ut quidquid ubique eſt, * Lutetiæ natum velut in publica orbis terrarum officina, quod Ariſtides de Roma jactabat, vel in eam aliundè importatum, jure dicas, & uni civitati vectigalis mundus eſſe videatur. Hinc civium opes, hinc ubertas & abundantia efflorefcit.

Documento erit quod noſtris annalibus proditum eſt. Cùm Carolus VI. idem de quo antea memini, duceret exercitum in Belgas, & ærarium exhauſtum deprehendiſſet, mercator Pariſinus centum hominum millia ſuis ſumptibus aluit. Annon hoc illud eſt quod aiebat Craſſus, hunc duntaxat appellandum eſſe divitem, qui exercitum ſuis alere ſumptibus poſſet? certè ex urbanis portoriis & annuis mercium, quæ in urbem quotidie invehuntur, vectigalibus, incredibilem pecuniæ vim in fiſcum inferri liquet. Hiſpania, tui me miſeret? quanto labore tibi conſtat ut pauper ſis? quid enim aliud ex aureis illis quos habes, in altero procul orbe, montibus refers? abit aurum tibi omne in ſumpus navigationis, in im-

* *κοινὸν τοῦ κόσμου ἐργαστήριον. Ariſtid. de Roma.*

penſas operarum, in nauffragia ſæpè ac ſyrtes. Quantò certiorem ac feliciorem in una Lutetia Galliæ rex aurifodinam habet?

Quod ſi quis hujus abundantiæ capere ſpecimen aliquod velit, conferat ſe in eam ſequanæ ripam ubi aurificum tabernæ patent ad publicam nummorum officinam, imò in civium ſingulorum ædes; quis non miretur tantum eſſe auri atque argenti ſive infecti ſive facti & elaborati? contempletur tabernas in curiæ gradibus & vaſtis porticibus explicatas, ac peregrinis mercibus domeſticiſque onuſtas: quis, non ſuaviſſimè intuetur tantum deliciarum, pannorum, librorum, veſtium, ornamentorum? quis vicos ingentes, alios unis bibliopolis, alios textoribus, alios infectoribus, alios aliis artificibus addictos, non ſtupet? quid illis hortis perpetuis lætiùs qui florent in macellis vulgò notis? ubi æternum ver, æſtas aſſidua, numquam ſeneſcens autumnus eſt, ubi hybernæ roſæ, alieni temporis fructus, poma regionis omnis colliguntur? quis inquam hortus certior, feracior, abundantior?

Quid Sangermanis nundinis? quid Sanlaurentianis, vel uberius ad copiam, vel ad varietatem gratius, vel ditius ad pompam ac ſplendorem? quid Gobelinorum domo, quam perpetuas quaſdam & ſtabiles omnium artium nundinas appellare licet, admirabilius? nonne ſi Græci, illi artium

inventores, ſi Romani earum ſpoliatores ac prædones, reviviſcerent, ac cernerent quidquid illic auro argentoque cuditur, adumbratur penicillo, in aulæis texitur, tingitur in velleribus, in æs aut marmor inciditur, ſectili ſilice elaboratur, Phrygionum acu pingitur, opere teſſellato diſcribitur, plumario variatur; nonne ſe demum victos vel inviti faterentur?

Sed alias opes, alia urbis florentiſſimæ ornamenta ſpectemus: illuſtriſſimos dico cœtus & ordines, qui principem in ea locum obtinent; ſacros dicam an profanos? nihil utriſque numeroſius, nihil clarius. Quis pro dignitate Clerum Pariſienſem, Eccleſiamque laudaverit, quam ſummi Pontifices, ut diſertè ſcribit Bonifacius VIII. *eximiis inter ceteras orbis Eccleſias beneficiis ornaverunt?* quam reges chriſtianiſſimi *inter Eccleſias regni ſui eminentem*, ut LUDOVICUS VIII. profitetur: *& ceteris cariorem* habuerunt? quæ tot Pontifices maximos orbi dedit, Gregorium IX. Adrianum V. Bonifac. VIII. Innoc. VI. Gregorium IX. omnes Pariſienſis olim Eccleſiæ Canonicos; Cardinales amplius 30. Archiepiſcopos totidem, Epiſcopos 140.

* Nihil dicam de Senatu Pariſienſi cujus laudibus ante paucos annos idem locus iſte perſonuit. Cùm non tam oratoris eloquen-

* Panegyr. ſenatui Pariſien. a. R. P. de la Baune dictus,

tiſſimi, quàm univerſæ Societatis noſtræ voce laudatum eſt illius in Religionem Catholicam ſtudium, in Regem pietas, æquitas in populum & fides.

Quid? an exiguum hujus urbis lumen ac decus eſt illa percelebris Academia, Univerſitatem dico; quam præ ceteris Galliæ miraculis viſendam ſibi eſſe Imperatores Carolus IV. Sigiſmundus, Carolus V. nec non Angliæ & Hiſpaniæ reges, cùm verſarentur olim Lutetiæ, putaverunt? Quam Gregorius IX. *officinam ſapientiæ, fœcundam eruditione parentem:* alii Pontifices *propugnaculum fidei ac vallum*, alii *fluvium ſaluberrimum univerſalis Eccleſiæ terram irrigantem* (conceptis eorum verbis utor) nominarunt? Quid dicam de clariſſimo illo Theologorum collegio, quam Sorbonam ab conditore nuncupamus, quod ſemper tanquam oraculum ſacræ ſcientiæ, aſylum Religionis, Doctrinæ normam, integritatis exemplum, non hæc ſolum civitas, ſed Gallia, ſed orbis univerſus aſpexit?

Quid alias ſoliditates commemorem forenſes, Urbanas, mercatorum & opificum ſuis quaſque locis, muneribus, Magiſtratibus, adminiſtris legibuſque ita diſtinctas, ut una omnes regi anima videantur? Et eſt anima certè, quæ tot membra tam vaſti corporis inter ſe apta & communi quaſi vinculo colligata ſervat.

Civilem dico diſciplinam, cujus ea vis eſt ut pacata ſint omnia & compoſita: hæc Urbem in regiones ſex & decem diviſit, ſuos ſingulis regionibus decuriones attribuit, qui eſſent in perpetuis velut excubiis & majores Magiſtratus, ſi res ferret, monerent: hæc nocturnos in omnem partem Vigiles ire jubet ad compeſcendam vim & audaciam, hæc vias luto pridem ſcatentes repurgavit; quæ ſi quis contemnit ut levia, ut publicè tamen utilia certè laudet. Hæc fluminis ripas quadrato veſtivit lapide, aggere munivit, ora extrinſecus prominente prætexuit; hæc planos & errones qui templa quondam clamore & moleſtis precibus obtundebant, certis domibus incluſit; remedia ærumnis privatorum, ſubſidia calamitatibus publicis invenit, omnia reſtituit in melius, amplificavit, firmavit; nihil ut jam fingi poſſit Lutetia tranquillius, nihil ordinatius & ornatius.

Sed in Urbis ampliſſimæ ornamentis nullum eſt illuſtrius quàm tu ipſe, Gubernator Illuſtriſſime, vel propter clariſſimæ familiæ nobilitatem, quæ maximos Principes cognatione attingit; vel ob affinis tui, principis Senatus Illuſtriſſimi, ſumma in hanc urbem regnumque merita; vel propter fratrum tuorum recentem adhuc in Gallorum animis gloriam, quorum alter poſt edita ubique inauditæ fortitudinis

exempla, præſertim in Belgio ubi caſtrorum præfectus in priori Attrebati obſidione duo & viginti accepit vulnera, cùm ſubinde Theodonis villam obſideret, legatus in toto exercitu & à rege deſignatus Franciæ Mareſcallus, in murum hoſtilem inſiliens, militari cuniculo abreptus, in everſi propugnaculi ruinis, hoc eſt ſuæ gloriæ monumento, ſepultus eſt. Alter poſt rem in eadem Flandria variis in obſidionibus & pugnis fortiter ac ſtrenuè geſtam; Catalaunico deinde bello interfuit, ubi primus caſtrorum præfectus, licèt adoleſcens annos tantum natus quinque & viginti, cùm hoſtes numero, viribus, ſucceſſu, feroces bis præter omnium ſpem repuliſſet ac ſua ſe in caſtra ovans reciperet glande plumbea pectus corde transfixo, concidit.

Eorum gloriam æmulatus, militiæ tirocinium in Friburgenſi pugna, tum in Horlingana poſuiſti, ubi equo ſuffoſſo bis dejectus cruentam tuo & hoſtium ſanguine lauream reportaſti, mox variarum legionum in Germania tribunus, in Flandria equitum ductor, legatus generalis in Aquitania, demum in Burgundia, in Lotharingia, in Alſatia, in omnibus locis, quocunque Rex arma victricia circumtulit gloriæ particeps, periculi comes extitiſti. Tua illi tum ſpectata ſæpè virtus fuit, cùm ab ejus latere nunquam diſcederes, tunc perſpecta eximia

mia illa fides quam omni regiæ benevolentiæ ſignificatione remuneratus eſt, Senatorio ſanctioris conſilii honore; Prætorianæ cohortis tribunatu, prima regii Cubicularii digitate, denique hac poſtrema urbis gubernatione tibi demandata; qui quidem honor non emptus pretio, non quæſitus prece, non ſuffragiis amicorum & favore partus, tibi uni delatus eſt, idque tam honorificè, tanta regalis benevolentiæ ſignificatione, ut ipſe dandi beneficii modus pars beneficii potiſſima fuerit. Sed hoc ſibi etiam beneficium tota civitas datum putat. Liberaſti regiam fidem, LUDOVICE MAGNE, pollicitus nobis eras facturum te ut intelligeremus quàm accepta tibi fuiſſent civium pro tua valetudine vota & ſtudia: mox hunc urbi gubernatorem dixiſti; non poteras quanti nos faceres, quantùm nos amares, planiùs demonſtrare.

Nec minorem tibi partem in hoc argumento vindicas, Præfecte urbis illuſtriſſime, quem diuturnus rerum uſus, ſumma juris & fori ſcientia, integritas admirabilis, teſtatiſſima probitatis apud omnes opinio, ſapientiſſimorum filiorum, quos paternæ laudis hæredes intueris, virtus, ampliſſimi honores in Senatu geſti, ſuſcepta cum illuſtriſſimo Cancellario, cujus filiam natu maximam duxiſti, affinitas, majorum etiam nobilitas & gloria, dignum fecerunt cui

Rex hominum æſtimator ſapientiſſimus urbis principis curam demandaret. Cujus pater Henricus Furcæus à Ludovico XIII. regiis ædificiis præpoſitus, & in Rationum curia præſes, egregia in Principem fide, modeſtia & humanitate in ſuos, æquitate in omnes, famam eſt ſingularem conſecutus. Meminit Gallia Joannis Furcæi avi tui nobiliſſimi qui Henrico IV. à Sanctioribus Conſiliis, poſt navatam inſignem Regi operam dicendo inter milites jure difficillimis temporibus, regiis itidem ædificiis præfectus, & in condenda Lupara & aliis, quæ illo curante peracta ſunt, monumentis, optimè de Lutetia meritus eſt.

Illorum veſtigiis, dignus avis nepos, inſiſtis, & quamvis te quaſi ereptum ſibi & à forenſibus negotiis tantiſper avocatum Senatus Pariſienſis doleat, gaudet honori tamen tuo & urbis cariſſimæ commodis acceſſiſſe quod ſibi detractum eſt, ac te qui ſui ordinis nuper lumen ac decus eras, univerſæ jam civitati ornamento eſſe ac præſidio gratulatur. Poſſem Ædilium vigilantiſſimorum, ornatiſſimorum Decurionum, Quæſtorum, Scribarum urbis, & aliorum, quibus pars aliqua rei civilis ac diſciplinæ incumbit, ſedulitatem, ſtudium, providentiamque ſingillatim celebrare, niſi vererer ne in immenſum excreſceret oratio, laus quidem ſua ſingulis à Rege nuper pa-

ſani attributa, luculentus & potior omni noſtra laudatione, panegyricus eſt. Hoc unum addam, illos in graviſſimis curis & negotiis eo recreari ſolatio, quòd rem habeant cum ejuſmodi civibus, qui propter mores optimos facillimè gubernari poſſunt, uti ex altera orationis parte nullo negotio intelligetis.

Prima laus morum eſt, probitas: ea Pariſinis quàm meritò tribuatur, ſi quis cognoſcere voluerit, cogitet antiquos illos Lutetiæ cives majores noſtros, vultum illorum, veſtes, conſuetudinem vivendi ſcribendique, recordetur: nonne in illis ſpirare nativa quædam ſine fuco ac ſimulatione probitas videtur? Hæc virtutum ceterarum cuſtos & nutricula, quas, à majoribus acceptas, non minore quam illi, ſtudio (gratia ſuperis) colimus. Ubi enim eſt puerorum inſtitutio diligentior ac liberalior? ubi pauperum cura publicè major & ægrorum? ubi Sacerdotum ordo ſanctior? Ubi Seminariorum (ita enim appellant) in quibus Clerici ad omnes muneris ſui partes obeundas informantur, vel major numerus, vel diſciplina ſeverior? ubi Religioſorum ordinum familiæ plures, fama purior, pietas in vulgus acceptior? ubi templa nitent auguſtiùs? ubi ſacra myſteria & ſanctiſſimæ cerimoniæ religioſiùs uſurpantur, & crebriùs? quantum continentiæ domi; foris

humanitatis; in populo modeſtiæ; juſtitiæ in foro; in mercatoribus fidei; in omnibus, ſinceritatis & æquitatis?

Adjecimus ad majorum probitatem ac ſimplicitatem paulò plus nitoris & elegantiæ. Quid enim jam Pariſinis concinnius & politius in ſermone, in ædium ornatu, in veſtibus, in hortis, in ſcriptis, in omni vitæ conſuetudine? in quo ipſo ineſt nativus lepos & honeſtas quædam libero digna, quam Galli ceteri, quam peregrini & hoſpites nunquam aſſequantur, licet frequentes è provinciis, ut fit, in urbem conveniant. Aiunt Græcum olim neſcio quem Athenas è Doride vel Ionia veniſſe, hominem lautum & domi nobilem, ibi ſe ad omnes urbanitatis Atticæ lautitias diù multumque exercuiſſe; veſtium, qui tunc Athenis vigebat, modum, ſermonis delicias, leporem, denique omnem quotidianæ vitæ ad plenum ut rebatur, imbibiſſe. Poſtquàm ſibi viſus eſt profeciſſe non parum, prodiit in publicum, velut ex officina fictus & factus ad elegantiam, ſed vix agere neſcio quid cum cive cœperat: ô hoſpes, inquit civis..., excanduit ille ſcilicet qui ſibi merus Atticus & ad unguem factus videbatur, ſeque peregrinum adhuc & hoſpitem videri, vehementer doluit. Non abſimile quidpiam recentibus è provincia Gallis quotidiè uſuvenit. Sint ingenioſi, ſint

feſtivi, ſint comâ, veſte, reliquo cultu corporis nitentes & picti, eſt in illis nonnihil tamen pingue & abſonum, aut cura ſtudioque accerſitum, denique neſcio quid eſt, quod provinciam olet.

Huic elegantiæ affinis & germana eſt ingenii laus: quæ in aliis fere gentibus & urbibus ſerum quiddam eſt, in Pariſinis velox & citò maturum; non expectat annos, ætatem antevertit. Vel ipſi pueruli quam ſunt lepidi, quam acuti? ut ingenioſè garriunt, ut ſcitè reſpondent! faceſſant illi porro qui hanc aciem ingenii contendunt fieri hebetiorem in Pariſinis, ubi accrevit ætas, illos qui micabant in pueris igniculos in adoleſcentibus extingui. Non extinguntur illi ſanè, ſed corroborantur: affert ipſa dies huic feſtivitati maturitatem ſuam, decoquit illam viriditatem, luxuriem depaſcit. Nolo pueros Catones, auſteros, graves, verbo dicam viros ante tempus. Quid enim fit (Auditores) nempe ut illi ipſi, cum viri deinde ſeneſque ſunt, pueri tum demum eſſe incipiant? Vis illa ingenii lætioris & quaſi flos qui Pariſinis ineſt ætate primula, in iiſdem provectioribus, uti decet, prudentia & ſolertia eſt.

Teſtis artium tot egregiarum copia, quæ Pariſiis aut inventæ ſunt aut perfectæ. Quid enim apud Hollandos laudatur in libris ex-

cudendis, apud Anglos aut Hiſpanos in texendis aut inficiendis lanis, apud Venetos in polienda cryſtallo, apud Genuenſes in tæniis textilibus è lino ſcutulato & reticulato conficiendis, apud reliquos Italos in ſignis ac tabellis, in muſica & concentibus; apud Belgas in periſtromatibus & aulæis, quid alibi uſpiam in ceteris artefactis, in re hortenſi, veſtiaria, eſcaria floruit aliquando vel hodie floret, quod Lutetiæ non conficiatur, neque tantum ab exteris, verùm etiam ab indigenis, exquiſitiore ſæpe artificio, minore ſumptu, majore copia?

Solaſne tamen iſtas laudamus artes, ac non liberales multò magis, quibus eruditionis & ſcientiæ gloria continetur? in iis verò quantum ſemper Lutetia reliquis præſtiterit ſiquis ignorat, dicent egregii tot viri, quos habuit ſacrarum literarum & profanarum vel diſcipulos vel magiſtros: dicent ſummi Pontifices qui eandem Lutetiam * *ſcientiarum parentem & litterarum civitatem* appellarunt: dicent 50. Collegia, muſarum domicillia & litterarum: dicent illa eruditorum armamentaria, Bibliothecas appello, quarum aliæ publici quodammodo ſunt juris & patent omnibus, aliæ licet privatorum in ædibus collocatæ, prioribus aut nihil aut parum decedunt. Quam

* Greg. IX.

multis linguarum difficillimarum & peregrinarum profeſſoribus attributa publicè ſtipendia? quantus mathematicis diſciplinis quæ fuerant hactenus obſcuriori loco poſitæ, honos habitus cum ſuum illis Uranoburgum extructum eſt, & educta cœlo moles, ut eò penetrent etiam imperitorum oculi, quò mentes peritiſſimorum hominum ac diurna ſtudia nocturnaque pervaſerunt?

Quid dicam de lingua vernacula, quæ ſuam hac demum tempeſtate videtur abſolutionem conſecuta, idque præſertim illuſtris Academiæ beneficio, quæ ſuum à gallica lingua nomen ac decus habet: in quam priſcæ recentiſque eruditionis flos omnis ex univerſis regni ordinibus confluit, in quam cooptari certatim ambit quantum eſt hominum è primaria nobilitate litteras amantiũ? quid in phyſicis explicandis & indaganda natura, quantum operæ pretium factum eſt? quantus in abditiſſimis illis arcanis eruendis labor, quàm feliciter & præclarè collocatus? omitto publicas de litteris & omni eruditionis parte diſſertationes, ſtata per hebdomadam die in privatis ædibus haberi ſolitas ab clariſſimis & eruditiſſimis viris, quos ego libenter honoris causâ nominarem, ſi eſſent obſcuri.

Sed profanæ quodammodo ſunt iſtæ, quas hactenus recenſui, Pariſinorum laudes, &

exiguæ, ſi cum religionis catholicæ conſervandæ ſtudio conferantur. Ea laus palmaria eſt, ea Lutetiæ præ ceteris regni Chriſtianiſſimi, atque haud ſcio an totius orbis terrarum urbibus, meritò concedenda. Quis enim orbe toto locus, quæ regio vel civitas, hæreſim, ſuperſtitionem, impietatem, acrius inſectata eſt? quodnam habuit Romana fides perfugium certius & illuſtrius? quem ſibi portum delegerunt ſummi Pontifices, ubi jactati graviſſimis tempeſtatibus, ſede ſua interdum pulſi, armis impiorum appetiti, reſpirarent, ac ſalutem cum dignitate reciperent? ubi plura coacta ſunt Concilia ſanctiſſimorum Præſulum, ad rem tum publicam tum Eccleſiaſticam componendam? quam eſt inſigne ad memoriam poſteritatis & gloriæ immortalitatem, quòd hæreſis Ariana, cum poſt Ariminenſem Synodum triumpharet, ac certiſſimum exitium orbi Chriſtiano minaretur, Victorini Antiſtitis Pariſini ſtudio proſcripta ſit in Galliis & extincta? quòd ex hac primum urbe ſublatum fuerit veluti ſignum, erecta quaſi pharus, quam probi omnes dolo, metu, pœnis, decepti, territi, diſſipati, ſequerentur?

Quid illi qui ſub Philippo Auguſto, ſub Carolo Sapiente, ſub aliis deinde regibus emerſerunt peſtiferæ novitatis artifices, quàm acriter hîc & ſedulò, æquitate legum, interdum etiam ſuppliciorum acerbitate,

ſunt

ſunt repreſſi? ſed hæc antiqua: occurrit animo hæreſis & ob viciniam temporum notior, & ob importata Europæ toti mala ceteris immanior. Bellua centiceps, Lemani lacus hydra, monſtrum ex impietate, ignorant a ſuperiorum hæreſum colluvione, concretum; cui dederat nomen deſertor ſacrilegus, arma ſubminiſtrabat perduellio, venenum & vim nocendi præſentiſſimam, calliditas, induſtria, & multorum conſpirans audacia, ſuggerebat. Jam adulta peſtis & procerum pecunia, populi ſuffragiis, nobilium autoritate ſubnixa, viris, armis, exercitibus prævalida volitabat, jam cives a civibus, a rege populum, homines a Deo patriiſque ſacris abſtraxerat; polluta templa, violatæ leges, convulſa legitimæ poteſtatis autoritas, Gallia ipſa exhauſta viribus, exteris hoſtibus objecta veluti præda, & quod erat luctuoſius, ipſa ſibi hoſtis & à ſeipſa diſſidens, non modò ſpem reſtituendæ religionis, verùm etiam animos & votum vel fortiſſimis patriæ pietatiſque defenſoribus ademerant. Quinam in hac rerum perturbatione, in hac miſerrimorum temporum flamma, ſe fortunaſque ſuas pro Religione, pro ſalute publica devoverunt? quibus tandem aſſertoribus ac vindicibus Catholica res ubique fermè jactata, prodita, deſtituta ſterit? hoc Lutetiæ debemus: hæc majorum veſtrorum, cives illuſtriſſimi, gloria, hæc pietatis illorum ac

fortitudinis merces fuit. Dicendum enim id palam, & apertè prædicandum; quod indigenæ pariter & exteri, hoſtes & amici conſentiunt, niſi tum ſe fortes pioſque Pariſini præbuiſſent, Religionem hodie in Gallia fortaſſe nullam haberemus.

Stetit hæc illis gloria., fateor, magno, periculis graviſſimis laboribuſque ſtetit: viderunt cæſos ante ora liberos, & ab hæreticis immaniſſimè trucidatos, direpta bona, obſeſſa mœnia, graſſantem in urbe pejorem hoſtibus famem, propoſitam ob oculos vaſtitatem, ſervitutem, ruinam fortunarum, necem crudeliſſimam viderunt, ſed hæc omnia diſcrimina gloriæ & lucro appoſuerunt, rati nihil perire ſibi poſſe, modò religionem catholicam, etiam cadendo, retinerent: modò hanc hæreditatem à majoribus acceptam vobis nepotibus ſuis ſartam tectamque tranſmitterent. Teſtes hæc mœnia tam fortiter ab illis defenſa, teſtes Sandionyſiani campi, eorum imbuti ſanguine, illorum nece conſecrati; teſtes eorumdem, qui viſuntur adhuc in urbe, tumuli, religionis monumenta, documenta fortitudinis, palladia civitatis.

Gratias pro tanto beneficio vobis habemus immortales, ſuperi: vobis etiam viri fortiſſimi majores noſtri qui hæc nobis exempla veſtræ pietatis & præmia reliquiſtis. Macti patria & avita virtute cives, ſed

videte etiam atque etiam, ne religionem quam veſtri majores in graviſſimis bellis periculiſque tenuerunt, eripi vobis in pace atque otio patiamini: obſtruite omnes inſidioſæ novitati aditus, graſſantemque peſtem, quò eſt interdum occultior, eò diligentiùs compeſcite. Mementote ſponſionis illius, qua obſtricti eſtis, cum urbem veſtram univerſumque regnum Ludovicus Juſtus Deiparæ Virgini extinctrici hæreſum, errorum expultrici, Galliæ ſervatrici mancipatam ſolenni voto ſacramentoque voluit. Præit vobis LUDOVICUS MAGNUS cujus profectò nunquam tanta extitiſſet gloria in reſtituenda religione, niſi majorum veſtrorum maxima quoque fuiſſet in ea defendenda, quem cum propter eximias dotes, quibus longè ceteris Regibus antecellit unicè diligitis, tum verò propter pietatem ita colitis, ut Lutetia, quam olim civitatem Cæſaris appellatam fuiſſe legimus, nunc LUDOVICI MAGNI civitas appellari poſſit, in hoc deſino.

Quod enim excogitari poteſt honoris, obſervantiæ, venerationis genus quod erga LUDOVICUM à vobis fuerit prætermiſſum? quid loquuntur illæ ſtatuæ. quæ in vicis omnibus, in domorum veſtibulis, in compitorum frontibus, viſuntur? parum erat nimirum, ſi optimi Regis imago eſſet in civium intimis defixa pectoribus, niſi

etiam oculis oblata ſpectaretur: parum ornata civitas, jam per ſe ornatiſſima, videbatur, niſi ejus vultus ceteris ornamentis ad cumulum accederet; quid ſibi portæ volunt victorias ejuſdem in memori ſaxo ſculptas & elaboratis inſigni artificio figuris expreſſas præferentes, niſi ut advenæ urbem eſſe Lu-DOVICO veluti dedicatam in ipſius urbis limine ingreſſuque moneantur? quid inſcriptiones variæ, quibus illius virtutum & rerum præclarè geſtarum nomina in æs & marmor inciſa ſunt, niſi ut olim poſteri legant quod præſentes intuemur? quid Academiæ in ejus laudibus celebrandis nunc dedita opera ſtatiſque temporibus, nunc aliud quaſi agendo & variis in argumentis, occupatæ: nihil ut ferè dicatur publicè vel ſcribatur cujus magna pars LUDOVICUS non ſit! ac jure quidem: ut cùm omnia per eum domi foriſque vigeant & floreant, omnia debitam ei laudem quocunque modo poſſunt, impertiant. Quid ingentes plateæ, ubi ad venerationem populorum & conſequentium ſæculorum memoriam proponitur?

Atque in primis illa veſtris magnam partem ſumptibus abſoluta, ubi ſtans ipſe, ac regia indutus trabea, imminentem capiti Victoriam habet, à qua tanquam exercituum pater ductorque ſemper felix, (ita enim in excuſo numiſmate ſcripſiſtis) coronatur. Opus egregium à te, Dux Albuſſoni,

poſitum Regi invictiſſimo, eam ob cauſam præcipuè laudandum, quod hanc memoris & grati animi tui ſignificationem, non tegere domeſticis parietibus, ſed publicam & æternam eſſe volueris, ut quia tibi ad referendam gratiam ſolus non ſatis idoneus videbaris, haberes ejuſdem officii, munerisque tot ſocios, quot cives.

Ubi verò patuit amor ille Pariſinorum & pietas in LUDOVICUM, clarius, quàm nuper cùm ejus valetudo, qua vita omnium noſtrorum ſaluſque continetur, gravi & periculoſo morbo tentata eſt? quis non ingemuit, qui non arſit dolore, quis vicarium pro amantiſſimo Rege caput offerre dubitavit, quis ejus periculum ſuo redimere millies non optavit? quæ vota ſuperis cuſtodibus hujus imperii, quàm ſollicitæ, quàm crebræ in omnibus templis preces effuſæ? dejecta omnium ora, triſte in foro juſtitium, mœſta in privatis ædibus publiciſque ſilentia.

Quam dulce tibi tum LUDOVICE fuit in ſumma graviſſimi periculi acerbitate, lachrymis tuorum, triſtitia & amore frui! Sed quantò majorem tibi eorum lætitia voluptatem attulit, cum te morbo ſolutum eſſe ac periculo fama nunciavit? ut repente omnes à mœrore ad gaudium, à lachrymis ad feſtos cantus, à metu ad gratulationem traducti? Quis amori, quis lætitiæ poſuit mo-

dum, quis tacito ſinu, quis domo, ſenſum exilientis animi voluptatemque continuit? ubique ignes feſti, ubique indictæ ſupplicationes, ſymphoniæ ſacris admixtæ precibus, ingenti apparatu & ſumptu. Certare plebs cum Magiſtratibus, cum ignobilibus nobiles, imi cum ſummis & Principibus civitatis, adeo ut reperti fuerint ex opificibus & proletariis qui nummorum vim magnam Sacerdotibus ultro detulerint ad perſolvendas ſuperis pro ſervato Rege grates, fortunæ ſuæ ac tenuitatis obliti, edictoque cavendum fuerit ut impenſis modus finiſque poneretur: at amori non ponitur, neque hoc tibi Rex licet, ut gaudio, vel te vetante, non indulgeamus, annoſque tibi plurimos etiam de noſtris apprecemur, tantò verius, quantò liberius.

Atque hujus voluntatis ipſe nobis teſtis locuples fuiſti cum in hanc almam urbẽ tuam, (ſic enim illam appellare ſoles) venire ac publica veluti gaudia regio vultu conſpectuque cumulare voluiſti: qui dies ille fuit quàm vobis omnibus felix & exoptatus, ô cives, cum LUDOVICUM intra hæc mœnia valentem ac ſoſpitem, accepiſtis! non dicam ſparſas floribus odoratis vias, non inſtratos oſtro & auro, quacunque vehebatur domorum & pontium parietes, non penſiles paſſim cryſtallos ac lychnos, quibus augeri dies ac meliùs nitêre videbatur, non mixtos terri-

bili tormentorum ſono leniores fiſtularum tympanorumque ſtrepitus, non fluentes urbe tota vini rivos, ſed illa gaudia loquor procurrentis obviam ſine lege, ſine ordine populi, illas inconditas, ut in impotenti lætitia fit, voces; illos qui extabant in omnium oculis & muto in ore loquebantur, geſtus, nutuſque, teſtes latentium animorum, & publicæ hilaritatis interpretes longè certiſſimos.

Quid ſimile viſum eſt olim cùm Clodovæi, Caroli Magni, Philippi Auguſti poſt bella graviſſima domitis hoſtibus in hanc eandem urbem ſe triumphantes reciperent? cùm Ludovicus IX. in oppido vicino veluti obſeſſus per Ducem Aremoricæ, ereptus à Pariſinis & hac ſtipante lecta fidorum civium manu deductus eſt? cùm Carolus IX. ab ſeditioſorum conatibus per eoſdem Pariſinos bis defenſus, & incolumis ſibi ſuiſque reſtitutus? Quid ſimile habuit tui ipſius, LUDOVICE MAGNE, in urbem ingreſſus, cum Auguſtam olim conjugem tuam in hanc imperii domum incredibili totius Galliæ concurſu deduceres? tunc attonita præ miraculorum multitudine civitas in tanta varietate ſuperbiſſimi apparatus hærebat incerta quid ex omnibus maximè ſuſpiceret: nunc tu unus miraculo & ſpectaculo fuiſti: tunc parata ex longo veluti gaudia, nunc repentina & nativa: tunc te triumphantem & ſu-

pra hominum ora ſortemque velut evectum cernebamus; nunc eundem te velut hoſpitem in oculis tulimus, nec tam in domos noſtras quàm in intima pectora ſubeuntem accepimus.

Meminiſti quæ omnium gratulatio, quis populi exclamantis, circumfuſi, irrumpentis plauſus fuerit, cum ſolutis in æde Deiparæ pro reſtituta ſalute votis, in Baſilica Pariſienſi, Præfecto & Ædilibus miniſtrantibus publicè epulari voluiſti? cum non modò aſpici patiens, ſed adiri, ſed compellari facilis, obſequia vel infimorum acciperes eo vultu, quo fata Europæ dividis: cùm propè civis è Rege factus ita te gereres quaſi unus è nobis fores, eò major omnibus, quò melior & humanior? tenebas mirantes omnium oculos, nec ſatiabas: magis magiſque viſus expetebaris, ac propè deſiderabaris præſens. Rectè igitur ac ſapienter factum à vobis, Ædiles, cum in mole ad ignem feſtum propè urbanas ædes tunc erecta inſcribi juſſiſtis, LUDOVICO AMORI POPULORUM, addo ego, AMORI PARISINORUM. Hoc mihi pro laudibus omnibus eſt.

Servate cælites, Præſides hujus urbis atque imperii talem regem populo, talem regi populum: hæc ille ſemper faciat quæ facit, hæc à nobis audiat: denique ſit hæc Lutetiæ laudum ſumma, ſit ea clauſula omnium quæ de illa præclarè dici, quæ optari

poſſunt, ut cum orator ejus amplitudinem, frequentiam, opes, ordines clariſſimos, & civilem diſciplinam laudaverit, quod priori orationis parte feci: cum ejus civium probitatem, elegantiam, ingenium, eruditionem & pietatem, quod poſteriori breviter præſtiti, celebraverit; hoc inſtar coronidis, extremum addat, hoc voveat, ut ametur ſemper à ſuis Regibus Lutetia, ut Reges ſuos quod hactenus fecit, ſemper amet, veneretur, & colat.

Dixi.

QUID SIBI GALLIA DE SERENISSIMI BURGUNDIÆ DUCIS INSTITUTIONE debeat polliceri.

ORATIO.

HABITA PARISIIS MENSE DECEMBRI ANNO MDC. XC.

QUÆ pro ſereniſſimo Burgundiæ Duce vota feceramus, cum primum editus in lucem eſt, auguſtiſque Parentibus ſingulari Numinis beneficio conceſſus, ea Superi faventes audiverunt, ILLUSTRISSIMI

Eccleſiæ Principes, Præſides Illuſtriſſimi, ceterique Auditores Ornatiſſimi. Adoleſcit illa tertia Galliæ ſpes, populorum deliciæ: avo nepos, parenti natus non diſſimilis ac degener, emerſit ex infantiæ velut umbraculis, & maturitate animi jam annos præcurrente, traditus in diſciplinam eſt lectiſſimis moderatoribus ad eas artes erudiendus, ad quas heroum liberos fingi decet. Ecquod aliud dicendi argumentum optari potuit à nobis aut illuſtrius, aut iſti loco Muſiſque noſtris convenientius? Quid vobis, Auditores, quid Gallis omnibus avitæ gloriæ cupidis jucundius afferri poteſt, quam novum quendam Ludovicum Magnum in parvo nepote ſuccreſcere? Quid huic florentiſſimæ juventuti, quæ in hoc lyceo inſtituitur, glorioſius, quam exoriri Principem qui eruditis adoleſcentibus dux & anteſignanus commonſtret iter, & eos accendat exemplo, quos olim patrocinio fovebit? Naſci Principes dulce eſt, quia Princeps, publicum, ut aiebat ille, bonum eſt: at eoſdem bene inſtitui longè dulcius eſſe debet, quia bono Principe nihil evenire melius reip. poteſt. Cum primum procreantur, neſcias quinam futuri ſint, id autem facile tunc intelligas, cum annis aucti edere incipiunt eos fructus, quos ipſorum natalis dies, tanquam herbeſcens frugum viriditas, non tam præbere

quam oſtentare ac polliceri videbatur. Flores igitur illos, qui ſe jam induunt in fructus, contemplemur: ſerum fuerit expectare dum regius puer confirmato per ætatem & corroborato corpore, medias inter acies verſetur, & Gallicam rem triumphis illuſtret ſuis, dum avita paternaque premens veſtigia, hoſtes religionis & imperii contundat. Juvat illas jam tum prægustare ſpes, juvat creſcentem in publica gaudia puerum intueri. Quorum autem eſſe potiores gaudendi gratulandique partes debent, quàm eorum qui natalem ejus diem omni lætitiæ ſignificatione, omni genere monumentorum celebrare præ ceteris ſtuduerunt? Recordamini quæ tum fuerit hujus Academiæ facies, cum iſtius areæ parietes, vatum & oratorum eruditis veſtiti laboribus, exilire gaudio viderentur; cum feſtis ignibus omnia collucerent; theatra ludis ingenioſis perſonarent; cuncta lætis plauſibus, votis & clamoribus fremerent? Quis hoc meritò nobis non concedat, ut qui tum lætitiæ publicæ magna pars fuimus, magna quoque nunc ſimus illius gaudii, quod ejuſdem grandioris inſtitutio jure præbet? Addo meas hic præcipuas quaſdam eſſe partes, qui natalitiam ejus lucem fuerim ex hoc ipſo loco frequentiſſima concione gratulatus. Talis erit aliquando ſereniſſimus Burgundiæ Dux, qualem tunc eum fore ſecundis ominibus votiſ-

que prædixi; ſpes noſtras non decipiet, aut ſi fallet, hoc uno fallet, quod eas ſuperaturus ſit. Quorſum hoc adeo confidenter dicam, audite.

DUAS maxime, cur hoc affirmem, cauſas reperio. Primam ab ipſo ſereniſſimo Burgundiæ Duce repeto, alteram ab ejus inſtitutionis adjumentis & præſidiis. Felix erit ac forunata Galliæ optatiſſimi Principis inſtitutio, quia ipſe præclara eſt ad bonas artes perdiſcendas indole, hoc primum: Quia ſuppetunt illi omnia inſtitutionis optimæ præſidia & adjumenta, hoc ſecundum orationis caput erit. Habet a ſeipſo & quaſi domi, cur facile diſcat: habet aliunde & veluti foris egregia omnia quæ diſcat, moderatores peritiſſimos unde diſcat. Videamus primum, quid afferat a ſeipſo ad feliciſſimam educationem: deinde verò quid ab aliis accipiat. Hoc utrumque dum oſtendo, favete, Galli, tenero principi; eruditi, litterarum gloriæ; adoleſcentes, ætatis veſtræ ornamento; ceteri denique præcipite animis eximias utilitates, quæ in publicam rem ex hoc fonte aliquando redundabunt.

NON eſt illud à ſapientiſſimis hominibus temere obſervatum, principes viros à natura formari quodammodo diligentiùs, eorum animos è manibus ſummi rerum opi-

ficis prodire factos quaſi melius, & majori cura elaboratos. Ac ſanè parum illis eſſet claritate generis, majorum gloria & neſcio quibus rerum externarum phaleris, ſervorum numero, ſplendore comitum, ſatellitum faſcibus, palatiorum pompa, ſecerni à populo; niſi plebeias & viles animas innata quadam, & penitus inſita nobilitate ſuperarent. Neque id aliter fieri oportuit; quid enim ſunt aliud viri principes, niſi exemplaria Numinis & imagines præſtantiſſimæ? Nonne in illis præcipuos ductus quoſdam ejus primigeniæ imaginis, unde illæ aliæ ſunt expreſſæ, & ſimillima veſtigia decuit apparere? Nec tantum animis principum eæ ſunt inuſtæ Numinis notæ clariores, verùm etiam corporibus, quæ meliore ficta luto, & pro dignitate hoſpitum ornata jure credas.

Fuerint, per me licet, atque adeo ſint etiamnum fortaſſe Principes aliqui, Superis iratis, ut ita dicam, & natura noverca geniti, de quibus hæc falsò prædicentur: de ſereniſſimo Burgundiæ Duce verè celebrari poſſunt, nec dubiis in eo ſignis inchoata & adumbrata cernuntur. Quacumque illum ex parte aſpicias, jam ſpirat in eo futurus heros, jam clariſſima Principis magni lineamenta lucent.

Vultis animum primò inſpiciamus? Quid illo feſtivius, quid in quotidiano ſermone,

ut captus ætatis eſt, acutius? Hinc enim ingenii conjectura certiſſima duci ſolet: frons vultus, oculi perſæpe mentiuntur; at ſermo, præſertim in pueris, nondum videlicet eruditus ad diſſimulationem, mentiri non poteſt. Quàm ſcitè reſpondet, quam graviter & cordatè interrogat! Quàm multa circumferuntur ab illo dicta ſubtiliter, oportunè prolata, liberaliter etiam & falſe conjecta! Jam luſus illi, riſus, aſpectus virilis eſt, plenus animi, plenus ingenii; nec tamen ſenilis ac tetricus: apage enim pueros nimis maturè ſapientes: cito repueraſcunt qui cito facti ſunt ſenes. Demus pueris alacritatem quandam & hilaritatem propriam ætatis; ſed appareat tamen ſapor aliquis prudentiæ, unde fieri conjectura poſſit quid ſit futurum, cum ætas maturior illum acerbiorem ſuccum & viriditatem decoxerit.

Hujus porrò futuræ prudentiæ ingens argumentum & ſolertiæ puerilis vel maxima pars, curioſitas eſt: hæc in viro fere turpis, in muliere ignoſcenda, in puero non exiguam laudem habet: ſive quod nobilem ſciendi curam arguit; ſive quod occaſionem & anſam præbet multa explicandi pueris, quibus eorum quaſi famem expleas; ſive denique quod oſtendit capacitatem quandam & amplitudinem mentis, quæ dum ſe vacuam ſentit ac repleri rogat, quid cape-

te poſſit docet. Nihil ſereniſſimus puer videt, nihil audit, cujus cauſas omnes non percontetur: licet acer, promptus, quietis impatiens & otii ferme ſit; tamen ſedatus eſt, ſui compos & otioſus, cum aliquid inquirit. Reſpondes interroganti? urget: aberras, omittis aliquid: non acquieſcit: rejiciis illum alio & avocas? non ſequitur; ſed recta qua cœpit via interrogare pergit. Quin jocum ſæpè joco reponit, ac ludentem ludificari geſtit.

At curioſi vulgo inertes & ignavi ſunt, auribus multum utuntur & lingua, manibus parum. Burgundiæ Duci labor placet; labor, puerorum, ut ſcitis, terriculum ipſa propè morte terribilius: contendere animum, incumbere in aliquam rem toto pectore, in lucro & voluptate ponit. Paucis poſt diebus quàm prima linguæ Latinæ elementa deguſtare cœperat, ita rem agere ſerio inſtitit, adeo nervos omnes ingenii contendere, ut metuerent vehementer ne valetudinem oblæderet. Deus bone! tantumne in puero animi ad diſcendum & ardoris! Quid futurum eſt, quando illam contentionem ad res gerendas, illam perſeverantiam in labore ad gravioris momenti negotia traduxerit? Ecce tibi autem aliud ejuſdam rei documentum. Amat icones parvulas è cera fingere; delectat hic luſus puerulum, & eſt ipſe ad ea omnia quæ ſolers & ingenioſa

ingenioſa manus elaborat, mire induſtrius. Cum igitur in cera componenda & coagmentandis ſigilli cujuſdam particulis totus eſſet, occœpit aliquis ſermonem de re quapiam oppido ſeria & gravi: arrigere ſtatim aures puer, tamque avidò arripere quod dicebatur, ut cera è manibus exciderit. Non venit in mentem vobis Cæſar, AUDITORES, cui Tullium audienti, chartæ quædam, quas præ manibus habebat, elapſæ ſunt? Ego verò id in puero magis mirer, quàm in Cæſare: nec vereor ne cui veſtrum iſta, quæ dico, leviora videantur, ſi cogitaveritis quantum hæc præſtantis animi augurium & omen præbeant. Magna ſunt, vel in parvis heroibus omnia, & ex ipſis unguiculis cognoſcere leones licet. Illud certè quod ſum dicturus nemo contemnendum putabit. Eos appello, quicumque hic adſunt, qui norunt illius indolem. Eſt, quemadmodum dixi, acris, vivida, præferox, iraſci ac reluctari prona: (ſunt enim hæc heroum vitia puerorum) Idem tamen ille, cum gerendum eſſe morem ſuis rectoribus accepit, ita ſe finxit ad omnes eorum nutus, ita ſe tractabilem ac cereum præbuit, ut ſeipſum dedidiciſſe videatur: monitus audit; objurgatus boni conſulit; mutat ſententiam reprehenſus. Nuper accidit, dabis veniam, SERENISSIME PUER, ſi quæ geruntur à te intra domeſticos parietes, in hanc lucem

efferamus; non ſibi naſcuntur principes, nec vivunt ſibi: & erit aliquis hic fortaſſe cui tuum factum vel exemplo vel pudori ſit. Accidit, inquam, ut à moderatore ſuo peteret alicujus rei faciendæ copiam: negavit ille, ſimulque cauſam, cur negaret, oſtendit; rem tamen ejus permiſit arbitrio. Ipſe pauliſper moratus, Atqui parendum eſt, inquit, rationi; nec facere quod rectius erat oſtenſum diſtulit. Quotuſquiſque illorum etiam qui ætate ac prudendia præſtant rationi ſic auſcultat?

Hæc illa ſcilicet bonitas indolis ad formantis voluntatem ſequax; & animus freno rationis gubernari jam patiens, non tantùm ad egregias artes & litteras perdiſcendas adjumenti multum affert, ſed etiam ad virtutes percipiendas, quæ pars altera educationis & potior eſt. Quænam porrò primum inter virtutes locum obtinet? quænam homini convenientior, quæ principi? Humanitas, AUDITORES. Quis optimus omnium Princeps? qui & hominem ſe eſſe & hominibus præeſſe meminit. Hoc de Sereniſſimo Burgundiæ Duce polliceri jam poſſum: amare ſuos, parentes revereri, beneficii ſenſum habere, largiri quantùm poteſt, cùm omnibus agere comiter ac benignè jam nobiliſſimus puer novit. Vexatam ſolito graviùs Sereniſſimæ Delphinæ valetudinem Gallia ingemiſcebat; mœrere præ

ceteris ille, angi, dolorem aut lætitiam præ ſe ferre, ut remittebat morbus aut ingraveſcebat. Quàm jucundum erat parenti amantiſſimæ in acerbiſſimi morbi doloribus hanc pueruli ſollicitudinem intueri! agnoſcere præclaram indolem in antiquis pridem celebratam heroibus, quos ad lacrymas & commiſerationem pronos propria quadam voce appellatos fuiſſe legimus?

An verò minorem ex ejuſdem ſuaviſſimi Pueri gaudio lætitiam Sereniſſimus ipſius Pater cepit, an leviorem indolis eximiæ duxit conjecturam, cùm victrices anno ſuperiori turmas è Phillippoburgo reportavit? Ut exiluit Puer! Ut in parentis amplexus ruens ſudorem oſculis deterſit! Videbant omnes ſumma cùm voluptate infantem inter laureatas Patris manus reptantem, & ejus laudibus jam arridentem ut ſuis: viciſſe puerum, triumphaſſe dixiſſes, ita rem geſtam exponebat, ornabat verbis, petentibus renarrabat. Gaudebat in ſinu Pater, & ſe jam in filio agnoſcebat. Laudentur enim verò Alexandri Magni lacrymæ, quibus paternam eſt victoriam proſecutus; ego Burgundiæ Ducis gaudium illis antepono. Illas enim tacita quædam expreſſit invidia; hoc amor accendit: illæ rediculum indicabant metum, quaſi defuturus orbis ad vincendum foret; hoc fiduciam præ ſe fert atque audaciam minimè puerilem, quaſi

ſperaret æquare ſe poſſe aliquando vel patrem.

Magna laus hæc, licet rudis tantùm & inchoata, fortitudinis, audaciæ, humanitatis: major tamen eſt conſtantiæ laus & rarior in pueris, qui nihil habere conſtans & certum videntur præter levitatem. Si quid in ſe recepit Burgundiæ Dux, ita promiſſi tenax eſt, uti conſtantes viri ſolent. Monitus fuerat ut nonnihil fugeret culpæ levioris, in quam & natura & aſſuetudine ſæpiùs prolabebatur: fidem aſtrinxit daturum ſe operam ut biduo toto abſtineret; abſtinuit: nec illo tantùm biduo, ſed conſecutis deinceps diebus, jam Dominus, jam victor ſui.

Multa prætereo generis ejuſdem, neque modum inveniret oratio, ſi reliquas ingentis in anguſto corpore animi dotes perſequerer. Sed magnæ mentis magna quoque domus eſſe debet, corpus animæ reſpondeat opportet, ipſa mole & magnitudine, quæ Sereniſſimo Burgundiæ Duci ſuo tempore non deerit, tùm forma, robore, agilitate & dexteritate. Non ſunt hæc in heroibus contemnenda: & auguſtiſſima quæque ſpecies (* ut ait Orator bonus) cæleſte quidpiam habere meritò creditur: perinde quaſi natura ipſa magnis mentibus domicilia corporum digna metaretur, & ex ipſa confor-

* *Camenius Panegyric. Conſtant.*

matione membrorum colligi poſſit quantus illa ſpiritus cæleſtis habitator intraverit. Hæc ſi conjectura valet, quantus erit Burgundiæ Dux? vel ipſe vultus quantùm jam dignitatis habet? micantes oculi, exporrecta frons, obtutus acer & blande ferox: ridet in ore toto mixta majeſtate comitas: neſcio quid in aditu congreſſuque, quòd perſtringit accedentes & invitat. Ipſe geſtus habituſque corporis ad imperium & auctoritatem compoſitus, quam inter nobiles pueros, qui viſunt illum identidem, mirum in modum exercet. Sic ille quondam Cyrus inter colluſores puerulos agebat Regem, & fortunæ ſuæ præludebat. Audax puero & firma vox: jam lacerti & nervi, jam artus moveri & ſaltare habiles; quod licet magna cùm dignitate faciat, ægre tamen ac invitus facit. Cauſam afferebat ipſe nudiuſtertius. Quam autem? Divinate, ſi poteſtis, AUDITORES: Quia nihil hoc ad capiendas urbes, inquiebat, nihil ad reportandas victorias adjuvat. Nempè flagrat incredibili jam tùm amore bellicæ laudis: qui ardor in oculis & vultu toto extat, puerorumque ſpernens crepundia, ut litteris proditum de Achille meminiſtis, arma cupide tractat, prælia puer Martemque balbutit.

Lepidum eſt quod narrant in eam rem. Petebat ab eo Sereniſſima Parens ante men-

ſes aliquot, ecquid amaturus foret aliquando, quanam re & occupatione delectandus? Quid reſpondiſſe illum exiſtimatis? Nihil cunctatus, Placebunt bella, hoc meum, inquit, opus, hic ludus erit. Agnovit omen Sereniſſima Parens, & obſtupuit. Audite vos porrò, Galli, & hanc vocem læti ac triumphantes accipite: non illam caſus aut levitas ætatis, at certa & jam conſcia ſui virtus expreſſit. Puerum ſeptennem non molle otium, ſed bellicos labores; non luſus pueriles, ſed militares triumphos; non levia ſpectacula, ſed aſpera & fortia certamina meditari! pugnas, pericula, diros armorum tumultus, pro ludo & oblectamento ducere! his paſci ac delectari quæ viris non valde meticuloſis afferre formidinem ſæpe ſolent. O vocem auream! o certa præſagia triumphorum, quos ludibundus idem aliquando reportabit!

Et vero dictis facta jam conſentiunt, nunquam ludit jucundius, quam cum regios inter ſtipatores medius, tractandorum armorum artem coram exercet. Quam volupe eſt illum cernere, cum pilum aut exiguam fariſſam nunc in dextrum latus, nunc in ſiniſtrum flectit! cum urget adverſarium cominus gladiolo, eminus telo petit: aut ejus petitiones declinat ſubſidens in genicula, vel corpuſculum lento ac molli flexu contorquens! quid cum aciem inſtructam ducit

imperator bellulus, in aureolis armis ſævus, cum ordines luſtrat, committit, præit certantibus, victores coronat? Id LUDOVICUS MAGNUS non ita pridem obſervans & ſecum admirans, eum ita fertur allocutus: Macte iſta virtute, Burgundiæ Dux, ita perge. Ego vero (ille retulit) præludo tantum, erit cum majora facientem aſpicies. Erit, erit profecto, illuceſcet illa dies, cum ab hac umbratili palæſtra egreſſus in ſolem ac pulverem, Europa ſpectante ac plaudente facies quod in Verſaliana nunc aula facis. Time, quicumque Galliam laceſſis, jam hunc puerum perhorreſce. Vos vero gentium exterarum legati, oratores principum, ite, & quæ non ſemel admirati nobiſcum eſtis, veſtris popularibus renunciate. Audiant eſſe in Gallia principem ætate puerum, judicio virum, indole heroem, ſpe . . . verbum mihi deeſt quo ſpes tam præclaras explicem: qui Clodovæos, Carolos, Franciſcos, Henricos aliquando reddat, imo reddere jam ac repræſentare incipiat. Quam ad rem cum per ſe jam factus eſt & à natura inſtructus propter ingenii & indolis bonitatem, ut hactenus oſtendi: tum vero externis præſidiis plurimum adjuvabitur, ut in ſecunda & ultima orationis parte breviter demonſtrabo.

QUAMVIS naſcentes viros principes

videatur aſpicere natura benignius, eorumque corporibus & animis fortunæ ac virtutis magnæ ſemina jam inſerat: tamen accedat ars oportet, atque cultura diligens, ut foveantur illæ dotes & commiſſa felici terræ ſementis augeatur. Quid quod vix nati principes hoſtibus laborant ſuis, eo gravioribus, quo ſunt occultiores, quo blandius bellum gerunt. Adulationem dico, ſuperbiam, illecebras voluptatum, & ceteras vel ſanctioris aulæ peſtes; quæ niſi diligenter arceantur, quantam puero principi cladem importabunt! Quibus autem artibus profligantur illæ peſtes? quibus armis regius puer contra hoſtes tam periculoſos inſtruetur? Libris, opinor, præceptionibus, exemplis, magiſtris: manibus teruntur libri & præcepta, exempla oculis leguntur, magiſtri auribus inſonant. De principis moderatoribus extrema oratione dicam: nunc illud videndum, quos libros, quænam exempla potius heroi puero proponamus. Exempla, inquam, longum enim per libros ac præcepta iter: exemplis ætas maxime puerorum brevius & commodius eruditur: tum ea demittuntur altius in animos, quæ fidelibus oculis hauriuntur. Multum filio dabis (ita monebat patrem Philoſophus ſapiens) etiamſi nihil illi dederis præter exemplum. Age ergo quibus exemplis Burgundiæ Ducem inſtruendum cenſebimus?

cenſebimus ? Conſulant ſane fumoſas veterum imagines, & fabuloſam annalium fidem ſcrutentur ii, quos decora domeſtica deficiunt: legant in ementitis heroibus pictas adulatione virtutes, & ambitioſis nominibus ornatas præceptiones ediſcant. Nos ſereniſſimo puero parentes avumque monſtrabimus. Unus illi plurimorum librorum inſtar ſit primo LUDOVICUS MAGNUS. Ille non uno legendus anno, vix omnibus annis perdiſcendus. Quot ſunt illius dicta, quot facta, tot ſunt effata regnandi, quæ ne pueri teneram obruant mentem; & molles adhuc perſtringat oculos tot rerum admirabilitas & ſplendor, certa ſingillatim capita proponentur, quæ meditetur per otium & expendat. Nunc pium & vitæ religionis aſſertorem, nunc fortem & ſtrenuum contemplabitur. Hic prudentiæ ſingularis documenta, illic moderationis cognoſcet: ibi lenem & pacificum videbit; alibi juſta in reos ſeveritate fulminantem.

Quamcumque partem eruditionis attinget, ubique LUDOVICUS occurret, unus legendus & imitandus offeretur. Luſtrabit orbem terrarum ſedens? illi mundum ingentem exigua incluſum tabula Geographia porriget? Ecquæ pars terrarum eſt non referta LUDOVICI MAGNI, factis, victoriis non illuſtrata? Europam, Aſiam, Africam & Americam implevit no-

minis ſui gloria? utque omittantur disjunctæ procul regiones, Flandriam illius armis ante paucos annos perdomitam intuebitur: in Hollandia raptas urbes uno impetu amplius quadraginta : Sequanos invita nequidquam hieme, præter uſitatum belli morem incredibili celeritate receptos: Lotharingiam integram biennio poſt additam regno; Trajectum ad Moſam expugnatum: captas cum Cameraco Valencenas: Argentoratum occupatum, emendatam Genuam, revulſa priſtina Galliæ clauſtra, fineſque longiſſime ſubmotos; ſuſceptum in Anglia publicæ fidei, regiæ majeſtatis, & religionis patrocinium: graviſſimum bellum in Germaniæ limite incredibili fortitudine hoc ipſo anno geſtum, quod Europa conjurata non aliud ob crimen intulit Galliæ, quam quod felix nimium & pia foret. Monendus tantum erit quo quidque tempore peractum ſit, ne multis annis geſta putet, quæ ſæpe diebus decem confecta fuerint, aut ab uno rege dubitet facta quæ vix à plurimis tam exiguo tempore fieri potuiſſe videbuntur.

Quod ſi a deſcriptione terrarum & ſcientia convertat ſe ad legendos annales & faſtos orbis: quid in recenti leget hiſtoria vel in veteri quod uno in LUDOVICO non reperiat? Alexandrorum fortitudinem, opes Antiochorum, Fabriciorum fidem, victorias Pompeiorum, Auguſtorum clemen-

tiam, pietatem Conſtantinorum? Philoſophiam adibit, ſive quæ de moribus ſive quæ de imperio gubernando diſſerit; illam vitæ ducem, magiſtram regum, imperiorum gubernatricem? Hæc ſane imitandam puero proponet imaginem aliquam & formam principis omnibus numeris abſoluti: in quo fortuna, virtus, fama, felicitas, opes, omnia magna ſint, etiam nomen: in quo vultus ipſe majeſtatem ſpiret, imperet reverentiam, amorem ſuadeat, extorqueat admirationem: in quo animus ſemper ſibi conſtans & ſimilis, rerum arbiter ac ſui, fortuna ſua & regno major ſit: ampla mens & orbis capax; eadem vigilans, experrecta, laboris & contentionis patiens, belli & pacis artibus idonea: rectus morum tenor ad probitatem ſectandam, generoſus ad profitendam, efficax ad perſuadendam: quem denique incertum ſit an plus metuant hoſtes, mirentur exteri, diligant & colant ſui. Na imago præſtans & omnibus heroicis depicta coloribus! At oro vos, cujus hæc imago tandem, cujus, inquam, niſi LUDOVICI MAGNI eſt? Quem videbis alium, SERENISSIME PUER, æque juſtum ac ſceleris vindicem ſine immanitate; retinentem auctoritatis ſine acerbitate; tectum ſine dolo; ſine faſtu magnum, pium ſine fuco, felicem ſine arrogantia, cum judicio beneficum, liberalem cum de-

lectu & dignitate : ſubditis imperantem ſummo cum jure,nec minus ſibi : potentem iræ non minus quam linguæ : ita miniſtris utentem ſapientiſſimis, ut omnia per ſe adminiſtret : ita omnia audientem, ut omnia per ſe videat : ita belli cupidum a gotii, ut otii paciſque pater & patronus ſit : ita ſervantem æquitatis, ut cadere cauſa, vel ſe judice, ſi poſcat æquitas, non recuſet ? Hæc & alia id genus ſparſa in ſingulis heroibus quos oſtentatrix antiquitas venditavit, ingens avus nepoti repræſentabit univerſa. Neque id ipſe puer jam tum non intelligit. Non dudum eſt, cum illi ; opinor in aliqua porticu verſaliana, monſtrabantur ſtatuæ præſtantes duæ, una Cæſaris, Alexandri altera : tum, qui aderant, quærere, utri ſe ſimilem eſſe mallet, Alexandro, an Cæſari ? Neutri, inquit, ſed Regi. Hoccine reſponſum pueri eſt, AUDITORES, an herois potius, quem eo fato Superi natum voluerunt, ut LUDOVICO MAGNO ſimilis, hoc eſt Alexandro & Cæſare major foret ? Antigonum illum cum erudiret homo ſapientiſſimus, hoc unum auriculis pueri mollibus identidem inſtillabat, Memento filium te regis eſſe. Burgundiæ Duci ad ſumma quæque capeſſenda non alio ſtimulo erit opus quam ſi LUDOVICI MAGNI nepos eſſe moneatur. Hoc ſibi dicet ipſe potius ; addetque,

LUDOVICI filius ſum. Nimirum in ſereniſſimo parente ſuo avum leget: in hoc ſpeculo ſolem alium quaſi viciniorem ſibi commodius aſpiciet. Erit Boleſlao felicior, quem ferunt, cum aliquid obeundum periculoſe, vel fortiter audendum inſtaret, ſolitum eſſe deoſculari patris imaginem, quam appenſam ſemper è collo geſtabat: hinc robur, hinc animos & conſilium haurire. Tu, inquam, eris illo felicior, Burgundiæ Dux, qui non mortuam parentis imaginem, ſed vivam ac ſpirantem, ſed illum ipſum teſtem, ſpectatorem, arbitrum & laudatorem ſis habiturus: quos ille tibi ſubjiciet ſtimulos, quos animos, cogitatus, auditus, aſpectus afflabit?

Quid autem in Sereniſſimo Parente natus potiſſimum admirabitur? Quid in eo libro præſertim leget? An ſummam animi moderationem, qua ſic iracundiæ potens eſt, nemo ut eam habeat magis in poteſtate? An facilitatem & æquitatem, quæ facit ut ab omnibus qui utuntur illo frequentius, mirifice diligatur? An religionis tuendæ atque amplificandæ ſtudium, in quo ab uno Parente ſuo ſuperatur? An fortitudinem & rei bellicæ ſcientiam, cujus dum nuper ſpecimen ederet, Germaniam totam ſui nominis metu & futuræ gloriæ certiſſima expectatione perturbavit? An excellentem ſapientiam, qua & agere & ceſſare novit,

utroque inſigniter egregius ? Ille verò hæc omittat omnia per me licet, AUDITORES, vel omnia potiùs in uno complectatur, in quo ſine ulla dubitatione continentur. Quid illud eſt ? Parendi atque obtemperandi gloria. Imperare diſcet à LUDOVICO MAGNO Burgundiæ Dux, à Parente nunc quidem diſcet obedire. Hæc illa demum eſt, teſte Imperatore apud veteres celeberrimo, pulcherrima omnium ſcientia, imperandi & parendi. Atque haud ſcio annon parêre ſit quàm imperare difficilius. Quò major eſt Sereniſſimi Delphini laus & gloria, quæ faciliùs à vobis exiſtimari quanta ſit poteſt, AUDITORES, quàm à me verbis explicari. Cujus enim eſt magnanimitatis falſam, quæ colligitur ex imperandi prava cupiditate, gloriam contemnere ? Quantæ pietatis, nihil ſibi ex paterna gloria & fortuna vindicare, præter gaudium ? Quantæ modeſtiæ, præclaras dotes velut oblviſci, quibus eſt ornatiſſimus, ut unius obedientiæ meminerit ? Quantæ ſit prudentiæ, ſatis heu ! principum quorumdam impotens ambitio declaravit. Quantæ ſit hoc ipſum denique utilitatis facilè intelligetis, ſi memineritis neminem imperare meliùs quam qui melius obedire didicerit.

Sed ne qua pars exemplorum deſit, quàm multa quoque Burgundiæ Dux à Sereniſſima optimaque matre docebitur ? Pietatem

& ſapientiam, in agendo dicendoque dexteritatem, amorem denique litterarum, quem in illa videt cùm pari ſolertia ingenioque conjunctum. Litteras amabit, fovebit eruditos, bellum errori & inſcitiæ, teterrimis imperiorum peſtibus, denunciabit: hoc avitum, hoc paternum, hoc maternum habebit. Perficiet cum nobiliſſimis fratribus ſuis, ut Sereniſſima Delphina multò potiori jure gloriari, quàm Cornelia Gracchorum mater poſſit, quæ cùm argueretur ab aliquo familiariter, quod muliebrem ornatum cultumque plus juſto reſpuere videretur: oſtendens liberos à ſe diligenter & ſanctæ admodum educatos, hæc mea, reſpondit, ornamenta ſunt. Unum reſtat, ut Burgundiæ Dux quo quidque diſcendum ordine ſit, quemadmodum iſti; clariſſimis exemplis & quatenus utendum, à Magiſtris accipiat.

Equidem cùm pueri Principis rectores intueor, videre mihi videor illas ducendis aſtris, movendoque cælo præpoſitas mentes, quæ dum illos orbis oculos, illas vigiles flammas in altiſſima mundi arce regunt, lucis ac tenebrarum intervalla, viciſſitudines tempeſtatum, rerum ortus & interitus eadem ratione moderantur. Non unius tantùm Principis pueri commodis gubernatores ejus ætatulæ ſerviunt; orbi ſerviunt, populorum commodis, imperiorum felici-

tati ſerviunt. Per illos ea puerulo præcinuntur oracula, quæ regio poſtmodum ex ore populi venerantes excipient; dictant illi voces, è quibus gentium fata ſorteſque componentur; ferunt eas lauros, quas victoris manus adulta ſuccîdet. Præclarus labor! ſed idem arduus. Pauci tantam perſonam ſuſtinere pro dignitate poſſunt, non ſolum quia nullius rei difficilior eſt ſcientia quam vivendi, ſed quia Principibus eadem eſt multò difficillima. Non cadit in vulgares animos inſtitutio Principum: Principem induat oportet qui docet Principem; regales animi regibus informandis præſint. Quam felici Galliæ fato proviſum eſt, ut Sereniſſimo Duci Burgundiæ tales Magiſtri contingerent, ut tales à LUDOVICO MAGNO legerentur! Neminem hic adeſſe reor qui ſuo de illis judicio quæcumque à me prædicari poſſunt & honorifica exiſtimatione non vincat, feliceſque tanto diſcipulo Magiſtros, auſim dicere felicem etiam diſcipulum iſtis magiſtris & fortunatum eſſe non ſentiat. Quid enimverò ab ea inſtitutione ſeperari meritò non poteſt, cui præſit vir inſigni probitate, ſpecimen integritatis, prudentiæ, gravitatis: major invidia & calũnia, quæ rara aulicorum felicitas eſt: conſtanti pietate, illis etiam temporibus quibus nondum ita pietatem aula guſtabat: cujus domus honeſtatis & continentiæ domicilium

eſt ; cujus etiamnum adoleſcentis aſpectus acceſſuſque magiſter pudoris & præco erat ; cujus vita & gloria virtuti veræ locum in aula eſſe poſſe docet. Vir Sapientiſſimo Regi cariſſimus, regni primoribus acceptiſſimus, domi foriſque honoratus : tamen in hac tanta omnium gratia, modeſtiæ retinens, in hac luce fugitans videri, latêre cupiens gloriæ contemptor & ſui. Quem ad primarium inter nobiles regio cubiculo præfectos locum, ad regii ſuper ærario conſilii principatum, ad arcis maritimæ præcipuæ præfecturam, ad ipſam demum Burgundiæ Ducis inſtitutionem, non aliena gratia, non emacibus obſequiis quæſitus favor, non doloſus & pertinax ambitus ; ſed una virtus, ſui commendatrix eloquens, ſed omnium vota & judicia vocaverunt. Quem Sereniſſimus Delphinus periculoſæ expeditionis comitem, viæ ſocium, & conſilii participem adhibuit. Quem LUDOVICUS MAGNUS Patrem ſapientiæ appellare non dubitavit. Plura dicerem de illius fortitudine & belli ſcientia, de abſtinentia pecuniæ, morum elegantia, ſingulari liberalitate in pauperes, incredibili ſtudio fovendæ atque augendæ pietatis inter ſuos : teſtes appellarem Sacerdotes illos, qui hoc ipſo menſe ab eo in oppida ſuæ ditionis miſſi, populum ſacris concionibus & aliis exercitationibus pietatis excoluerunt, facem quaſi præferen-

te & opus promovente, quæ aderat, ipſius Ducis illuſtriſſimi uxore, lectiſſima fœmina & tali viro digniſſima ; quo fructu ! qua omnium in præclaros tanti operis auctores caritate, benevolentia, gratulatione ! Pluribus, inquam, hæc dicerem, niſi talis eſſe quàm prædicari mallet, nec aliis ferè quàm ſuis laudatoribus ſuccenſeret. Talem Burgundiæ Duci moderatorem optabatis, AUDITORES, hùnc ore uno eligebatis priuſquam à Rege diceretur, eumque LUDOVICUS omnium ultimus nominavit. Qualis è tanti viri diſciplina prodibit regius puer !

Quantum verò ſperare Muſæ noſtræ debent ab illuſtriſſimi & ſapientiſſimi Abbatis eruditione, vigiliis, probitate, qui puellum Principem bonis litteris initiandum accepit ? Satis eum laudabunt, ſiquidem ſilere me jubet, ac ea tantùm lege ampliſſimum hunc cœtum cohoneſtare ſua præſentia voluit, ut ne quid de ſe dicerem : promiſi ; parebo, morem geram : laudabunt illum, inquam, tacente me revocati nuper ad avitæ Religionis ſinum Hæretici, quos, Rupellam, ante annos aliquot, à Rege miſſus, non doctrina magis, quàm pietate ; non ingenii robore vehementius, quàm honeſtiſſima lenitate ; non argumentis & vocibus veritatis diſertæ validius, quàm muto exemplorum & vitæ ſanctiſſimæ ſi-

lentio debellavit. Prædicabit ejus ſapientiam Lutetia, quæ illum vix annos ſeptem & viginti natum adminiſtrandæ novarum, ut vocant, Catholicarum familiæ præfuiſſe ſumma cum prudentiæ laude vidit: prædicabunt elegantiam in ſcribendo, in dicendo vim & ubertatem, ornatiſſimæ lucubrationes quas edidit, eloquentiſſimæ conciones quas habuit, in quibus quot verba, tot fundere videtur oracula ſacrarum litterarum, quas apprime callet, quaſque politioris humanitatis & bonarum litterarum lepôre ac ſale condivit. Laudat illum verò nunc & miratur aula: neque enim illi perinde ac mihi ſilentium imperare poteſt: ubi licèt nobilitate, ingenio, Regis favore, ſingulari apud omnes gratia, plurimis antecellat, carus tamen omnibus eſt, quia cum nemine, niſi virtute, modeſtia, & humilitate Chriſtiana certat: ubi ſic in Principis inſtitutionem ſibi demandatam incumbit, ut regalem alumnum ſuavitate mira demulceat, eique ſenſum quodammodò laboris eripiat, quod mihi videtur eſſe in docendo caput: ſic alia omittit omnia, ut quamvis eum nota virtus, perſpecta prudentia, felix, quidquid agat, ſolertia, invitent aliò & avocent; hoc unum tamen agat, ratus videlicet ſe ſatis agere ſi talem fingat Principem, qualem Gallia, qualem LUDOVICUS optaverit.

dia ſunt. En tibi ridentes occurrunt Muſæ, ſuas in te unum opes affatim congerere geſtiunt: docebunt illæ te magna facere, quæ poſthac facta canant, ac immortalitate donent. Hæc verò nobilis pubes, quæ in hoc erudito curriculo certatim deſudat, auſpice te pulcrum laborem capeſſet alacriùs: tecum Parnaſſi modò flores læta decerpet, donec olim cruentas in hoſtili ſolo palmas & bellico pulvere conſperſas ductore te lauros metat. Patere interim, SERENISSIME PUER, ut hoc venerationis, obſequii, &, ſi fas eſt, amoris vectigal quoddam tibi hodiè perſolvamus, ac primas Academiæ noſtræ voces celebrandis eruditæ pueritiæ tuæ felicibus primordiis conſecremus. Favete Superi fauſtis ominibus, dona veſtra ſervate: augete illa etiam, & puerum nobiliſſimum, ejus Sereniſſimos Parentes, auguſtiſſimum Avum veſtris muneribus, ut hactenus feciſtis, ut vovemus omnes & petimus, cumulate.

DIXI.